






2
6
119







CASTIGATIO LIBELLI
CVI TITVLVS:
ANTICONRINGIANA DEFENSIO JVRIS COLONIENSIS

In coronandis Romanorum Regibus.

EDITIO ALTERA EMENDATIOR.



HELMESTADII,
Typis & imp. HENNINGI MVLLERI, ACAD. TYPOGRAPHI.

CIↃ IↃ CLXIV.
Cum privilegio perpet. Vicar. S. R. I.

3 Tr.

110

SVMMA PRIVILEGIORVM.


Cautum est Privilegiis Serenissimorum Potentissimorumque S. R. I. Vicariorum, ne quis unquam libros Hermanni Conringij cura scriptos vel editos, citra ejus heredumque consensum, intra limites Vicariatuum inprimat, aut alibi inpressos divendat: pœna delinquentibus dicta amissionis omnium ejusmodi librorum & solutionis decem marcarum auri. Prout latius definitur ipsis Privilegiorum tabulis.

HERMANNVS CONRINGIVS
BENEVOLO LECTORI
S. P. D.

ASsertioni meæ Iuris Moguntini duo sunt Bonnæ libri oppositi: Alter ἀνώνυμος, *Alter aperte prodens auctorem, nempe Petrum quendam à Streithagen, Heinsbergi ac Cronenburgi Canonicum. Vterque perquam maledicus, & plenus inscitiæ: posterior vero adeo etiam scurrilis, ut dubites num quid simile unquam hactenus viderit lucem, quamvis Petrum illum Græca etiam & Poëtica nonnihil didicisse appareat. Quum suæ caussæ interesse existimarent Moguntini, ut Anonymæ Defensioni (hic enim liber alterum tempore multum præcessit) responderetur, iterumq; urgerent; ægre passus sum me denuo committi in illa arena, ubi maledicentia & impudens calumnia pro telo erat; passus tamen sum, sed dissimulata persona, & libera Moguntinis amicis facta potestate mutandi addendiq; ea quæ in rem suam factura viderentur. Sic extemporaneâ opellâ scripta est abs me hæc Castigatio. Moguntini verò passim quædam, & in his nonnulla acriuscula inseruerunt, alia mutavere, sub finem & scurram Streithagium tum primùm ex orco prodeuntem justa indignatione sunt insectati. Atque adeo in hunc modum natus est hic libellus, & Francofurti*

eodem cum Bonnensibus anno, quinquagesimo scilicet sexto, in lucem editus. Exempla omnia citò inter manus emptorum distracta sunt: ut jam ex eo pene disparuerint. Quamvis vero controversia isthæc feliciter non multò post finierit, idque summo meo gaudio, cui unice cordi est magnorum Germaniæ Principum consensio; quandoquidem tamen interest reipublicæ, ut ad omnem posteritatem cum supersit memoria veritatis, tum constet æquitas Eminentissimorum Principū, utpote quorum alter nonnihil de jure suo concedere, alter simulac fuit perspectum quod res est, causidicorum suorum iniquos conatus improbare haud dubitavit: velut jam duo hujus argumenti opuscula mea denuo publicavi, sic hujus etiam iteratam editionem nolo desiderantibus invidere. Quin & auctorem me ex parte esse, nolo amplius diffiteri. Quia vel Serenissimi Electoris vel Inclyti Capituli Coloniensis offensam metuere, vetat me tanti Principis pariter & Capituli hac ipsa in controversia exhibitum justitiæ & recti animi, in omne ævum illustre exemplum: ignoti autem adversarij indignatio, si quæ superest, mereatur contemni, sicut & Streithagij scurrilitas est infra iram. Bonorum omnium extra partes positorum favorem quoque mihi ausum polliceri: tantùm abest odij eorum declinandi caussa cur lucem debeat fugere nomen meum, aut sub occultis latebris sibi quærere præsidium. Helmestadij in Acad. Iulia, Anno CIƆ IƆCLXIV. Kal. Martij.

CASTI-



CASTIGATIO

DEFENSIONIS ANTI-CONRINGIANÆ.



Uctor Anti-Conringianæ Defensionis, sive idem sit sive alius ab illo qui Iteratas Vindicias publicavit, planè eundem animum ostendit, calumniatorium nempe atque indoctum; ut nescias malitia an inscitia prævaleat. Meretur rigidam animadversionem, sed huic pœnæ eximit illum hodie caussæ, cui patronus est delectus, gravitas. Tantùm libellum hominis nonnihil castigabimus.

AD PRÆFATIONEM.

I. Statim initio & passim in omni libello videtur clam mordere voluisse D. Hermannum Conringium, quod Medicus scilicet cùm sit, non dubitaverit Moguntinum Ius asserere. Quasi verò Vir Clarissimus non sit simul à Serenissimis Brunsuico Luneburgensium Ducibus in Academia Julia publicus Professor & Civilis prudentiæ pariter & Publici juris Imperij constitutus, nec unà in aula Consiliarij munere fungatur; ac proinde, cùm hortamine Moguntinorum calamum commodavit S. Moguntinæ Sedis juribus, quidquam egerit quod non sit intra limites officij sui publici. Verum hoc ut *malignitati* imputes illius Defensoris: ita dubium est, *huic* an imperitiæ adscribas, quod non dubitaverit aliquoties in libello suo repetere illud: Conringium, dum falsi accusat Aquisgranenses Tabulas, fecisse illud ex præscripto Hippocratis, qui urere ac secare, extremis item morbis extrema remedia adhibere jusserit. Inscitiam profectò arguit, & rei Medicæ, illa unius præcepti toties facta inepta repetitio,

tio, quum longè plura commodius potuiſſent adferri: & omnis bonæ doctrinæ, illa ex præceptis Medicæ Artis allatio ejus, quod in omnium ſcientiarum tractatione habet locum. Commentitia enim teſtimonia jure reijcienda, notum eſt omnibus; nec id præcepta Hippocratica jubent, utpote quæ de teſtimonijs nihil ſed de morbis agant humani corporis. Si non ignoravit hæc Defenſor, prodidit malignitatem animi. Nobis perinde eſt quo vitio hæc facta ſint: vitioſe factum eſſe, in propatulo eſt.

II. Recitat quoque in Præfatione ſummam Aſſertionis Conringianæ Defenſor; ſed quàm calumniatoriè & falsò, facile eſt dijudicatu omnibus qui Aſſertionem ipſam legerint. Et verò rogo æquum quemvis judicem, ut ipſam Aſſertionem inſpiciat; non autem credat temerè ſententiam ejus referenti aut oppugnanti Defenſori, ut qui ad calumniandum ſeſe totum compoſuerit.

III. Ita atrox calumnia eſt: à Conringio *Reſcripta Cæſarum, Canones & Decreta ſummorum Pontificum exſibilata.* Calumnia mera eſt, editionem Aſſertionis Helmeſtadienſem priore Francofurtenſi *rebus & rationibus non eſſe auctiorem*: cui falſi convincendæ ſola Aſſertionis utriuſque inſpectio ſufficit.

AD QVÆSTIONEM PRIMAM.

I. Quæſtionem primam hanc proponit: *Quando ſucceſſores Caroli Magni cœperint Auguſti vocari & quo diademate ſint coronati?* Iterum calumniatoriè. Nec enim hoc propriè agitatum fuit in prima hypotheſi Conringianæ Aſſertionis: ſed aſſertum erat hoc potiſſimum: *Coronationem illam quæ fit in Germania, eſſe collationem non coronæ verè Cæſareæ aut Romanæ, ſed coronæ regni Francorum, aut Teutonici*, vel *Alemannici: atque ita olim ipſos Reges noſtros loqui ſolitos*: non niſi obiter additum erat, *Coronam illam ipſam quæ inter κειμήλια Imperij eſt, eſſe eam qua coronati quondam fuerint Reges Germaniæ, nondum Cæſarea dignitate cum Germania conjuncta.* Prius illud quàm maximè faciebat ad rectè intelligendum negotium coronationis Germaniæ. Quod autem à Defenſore eſt propoſitum,

positum, nec ad rem facit, nec in controversiam venit, nisi fortè partem ultimam quæstionis exceperis.

II. Ita tamen est, inter alia hæc fuisse verba Clarissimi Conringij: *Has inter coronas sola Romana verè Cæsarea est*, h. e. *verè competit Cæsari inquantum est Imperator Romanorum. Idque solent ipsimet Cæsares nostri publice profiteri, electos Cæsares sese appellantes, quamdiu corona ista non sunt insigniti, etsi coronati in Germania jam fuerint.* Hæc pungere voluit Defensor sua ista quæstione. At, hem, quàm inepte! Fac Caroli Magni successores omnes in Germania creatos coronatosque esse Cæsares; an propterea non est vera illa assertio Conringiana, de eo quod hodie & aliquot jam seculis creditum observatumque fuit de coronatione Germanica, illam non esse verè Cæsareæ Coronæ collationem? Imò verò adeò rudis est & incautus Defensor, ut in probationem suæ sententiæ hac ipsa quæstione adducat verba Onuphrij Panvinij *ex cap. 5. de Comitijs Imperatorijs*, ubi disertè docet, jam à Carolo Crasso usque, h.e. per annos penè octingentos, id fuisse perpetui moris quod Conringius dixerat.

III. An non tàm pungere voluit Defensor Conringiana illa, quàm potius ostentare Conringio suam quoque Germanicæ antiquitatis peritiam? At verò hoc quidem, scio, ridebit Conringius; quippe qui dudum libro suo, quoad hæc solidissimo, *de Germanorum Imperio Romano*, ista quæ ex Onuphrio attulit Defensor, prolixè & accuratè docuerit.

IV. Iam verò expendat mihi porrò quis ineptias reliquas Defensoris. Scribit p. 5: *Certum esse, ab initio translati Imperij, post acceptum Aquisgrani diadema, Reges Romanorum se Augustos & Imperatores nominasse.* Id ut demonstraret, adducit Ludovicum Pium & Lotharium: prolatis aliquot testimonijs, hosce Aquisgrani proclamatos coronatosque Augustos. Ab hoc more autem primum Carolum Crassum descivisse, nititur ostendere testimonio Onuphrij. De Ludovico & Lothario verum est quod dicit. Qui autem Lothario successit in Cæsarea dignitate Lu-

dovi-

dovicum Secundum, & qui idem nomen post Ludovicum istum indepti sunt, Carolum Calvum & Ludovicum Balbum, Aquisgrani fuisse coronatos proclamatosque Cæsares, à vero est alienissimum. Nec venit in mentem Onuphrio, hoc ut assereret: quod verba ejus ab ipso Defensore allata legentibus non potest non perspicuum esse.

V. Æquè ineptum illud, quod Defensor velit, *licuisse vi Pragmaticæ Carolinæ à Leone III confirmatæ*, statim Aquisgrani Augustum & Imperatorium nomen cum diademate conferre. Non enim hoc esse consentaneum illi *Pragmaticæ* quam appellat, indicant utique clarissimè verba ab ipso Defensore adducta: *Ac in ipsa sede Reges successores & hæredes regni initiarentur, & sic initiati jure dehinc Imperatoriam Majestatem Romæ sine ulla contradictione plenius consequerentur.* Si sola *initiatio* & quidem non nisi *Regia* ex instituto Caroli debuit Aquisgrani fieri, *Imperatoria* verò *Majestas* Romæ demum conferri; quo jure, quæso, potuerunt Ludovicus Pius & Lotharius jam Aquisgrani Imperiali diademate coronari, & Imperatores Augustique appellari? Certè illos Romanam coronationem novam non exspectasse, aut à Pontificia coronatione credidisse *pleniorem majestatem Cæsaream* dependere (quod debuisset credi secundum Pragmaticam illam) disertè utique testatur Onuphrius verbis ab ipso Defensore incaute laudatis: *Augusti* nimirum illos *vel Imperatoris nomen non die coronationis suæ à Romanis Pontificibus assumpsisse, sed eo potissimum die quo à Patre quisque appellabatur Imperator; à quo etiam die eorum Imperij annos numerari solitos, nulla habita Pontificiæ coronationis ratione.* Certè vel hoc unum satis fuerit falsi convincendæ illi Pragmaticæ: si id agere pateretur institutum.

VI. Pari deinde ratione inscitiam suam prodidit Defensor, probaturus coronam illam, qua in Germania hodie instituitur coronatio, esse illam qua ipsemet olim fuerit usus Carolus Magnus. Id enim nititur ostendere testimonijs Onuphrij, Hartmanni Mauri, Schradij, Bertij & Noppij. Arguit sanè hoc ipso

&ju-

& judicij imbecillitatem, & in lectione monumentorum paulò etiam vetuſtiorum ingentem ſuam peregrinitatem. Iam tum enim à Caroli IV uſque ævo iſthæc fama invaluit, non ab uno prodita ſcriptore etiam illius temporis. Horum certè teſtimonijs potuiſſet multò veriſimilior reddi illa vulgi & Defenſoris opinio quàm iſtorum heri & nudiustertius, ut ita dicam, natorum. Et verò Henricus Rebdorfienſis, qui Carolo iſti ætate fuit ſuppar, non dubitavit ſcribere in hiſtoria anni 1361: coronam ſibi Norinbergæ viſam, *qua ſit coronatus Carolus Magnus in Imperatorem à Leone Papa tertio*. Eſt autem omnino ἀῤῥωστία τῆς διανοίας, rei antiquiſſimæ & fabulis obnoxiæ veritatem petere tantùm à recentibus narrationibus. Coronam illam eſſe Caroli Magni, per complura ſecula in nullo monumento eſt proditum: adeoque ſaltem tutò credi non poteſt. Eſt porrò veriſimile, ſi quam Carolus coronam Cæſaream ad poſteros transferri voluit, eam perveniſſe in manus Ludovici Secundi, qui patri Lothario ſucceſſit in dignitate Imperatoria, atque ita in Italiam translatam; Aquiſgrani nequaquam remanſiſſe. Si porrò corona Germanica eſt ipſiuſmet Caroli Magni, quî fit quod habeat nomen Conradi inſcriptum? Habere autem, probabo nunc tantùm teſtimonio unius Ioannis Gryphiandri JC. ex libro *de Weichbildis Saxonicis cap.* 70. *n*. 9. qui poſt coronationem Matthiæ Cæſaris coronam illam, priuſquam in ſcrinium reponeretur, teſtatur ſibi inſpectam (viderunt & alij nuper) Conradi nomen præferentem. Ille ſanè hinc ſuſpicatur, hanc eſſe Conradi IV coronam, quam Fridericus II Imperator in obſidione Parmenſi amiſerit: cùm tamen ſit veriſimilius, eſſe illam Conradi I: quam ille morti vicinus Henrico Aucupi per fratrem Fridericum fecit offerri. Diſertè ſanè teſtatur Luitprandus Ticinenſis *l*. 2. *c*. 7. coronam illam fuiſſe Conradi *propriam*; ita etiam illam deſcribit, ut planè eam quæ hodie ſupereſt depinxiſſe videatur. Adhoc Witikindus Corbeienſis gladium, qui ſimul cum corona fuit Henrico traditus, appellat quidem *gladium veterum*

Regum, *diademati* autem titulum illum non addit; ut appareat fuisse illud recentius. Quicquid sit, coronam illam esse ipsiusmet Caroli Magni, nullo verisimili argumento ostendi potest. Defensor autem in eo probando non nisi imbecillitatem judicij sui prodidit.

AD QVÆSTIONEM II.

I. Nusquam magis ostendit Defensor virulentum animum, quàm in secunda quæstione. Conringius secundo loco in id disseruerat de varijs actibus, quibus hodie constet coronatio, ut palam fiat, qui actus proprie sint Sacerdotales, qui non; obiterque addiderat, videri SS. sacrificium solemne apud nos serius, seculo tertio decimo circiter, *coronationis actibus adjunctum*. Defensor autem in Præfatione summam secundo loco à Conringio dissertatorum collocat in eo, quod *sacrificium Missæ seculo tertio decimo sit adjectum coronationi*: & nunc Quæstionem secundam ita proponit: *Quomodo sacrificium Missæ adhibitum coronationi Regum Romanorum* ? Quasi de hoc magnoperè egerit Conringius, aut in eo aliquid momenti sit collocatum. Quod quanta fiat cum Conringij injuria, tota secunda Hypothesis liquidò ostendit. Affingit porrò Conringio Defensor, velut ille simpliciter *negaverit*, *sacrificium Missæ ante seculum tertium decimum fuisse conjunctum coronationi;* aut verò etiam hæc verba accipienda sint eo sensu prout accepta voluerit sua Conringius. Non enim hoc ille voluit, quasi S. Missæ solemnia non interdum fuerint coronationem comitata; sed solemnia illa sacra non fuisse olim recepta inter actus coronationis perpetuos & necessarios, demum autem videri id cœpisse seculo tertiodecimo. Adhoc opponit Defensor Conringio Witikindum, qui in Ottonis Magni coronatione Missam celebratam narrat; id quod à Witikindo factum Conringius negaverit. Quamvis verò possit videri id dixisse Conringius; accuratè tamen verba ejus omnia spectantibus non potest obscurum esse, hoc tantùm illum velle, à Witikindo non esse mentionem factam S. Missæ inter ipsos coronationis actus.

Aliud

Aliud sanè Conringio tum in animo non fuisse, possum fide bona testari. Nam ita se explicavit.

II. Et verò sic sese res habet, si vetera illa tempora videamus. Interdum coronationes fuerunt peractæ nulla facta S. Missæ celebratione. Quod utique palàm est ex descriptione solemnium coronationis Ludovici Balbi Regis & Iudithæ ac Hermentrudes Reginarum, quam adjunxit Capitulis Caroli Calvi P. Iacobus Sirmondus. Palàm quoque est ex descriptione coronationis Wilhelmi Hollandi Romanorum Regis apud Ioannem Bekam, quicquid dixerit Defensor. Ne nunc tangam tempora Carolinis antiquiora illa, quando primum sacræ benedictiones sacerdotales coronationis solemnium cœperunt partem constituere; quæ incidunt in seculum Christianum sextum. Inter ipsos enim Cæsares anno 528 primus omnium memoratur à Ioanne I Papa non sine faustis precibus coronatus Iustinus Imperator, teste Anastasio. Ad hujus exemplum anno 566 ab Eutychio Constantinopolitano Patriarcha Iustinum Minorem consecratum, liquet ex hisce verbis Corippi:

Pontificum summus plenaque ætate venustus
Adstantem benedixit eum, cœlique potentem
Exorans dominum, sacro diademate jussit
Augustum sancire caput; summoque coronam
Imponens capiti. &c.

III. Ex eo sacra Episcoporum manu coronationes Cæsareæ quidem fuerunt institutæ; at solemnia sacra continuò simul celebrata fuisse, nusquam legas. Sub Merovingorum imperio, per annos 254 à Clodovæi Baptismo ad depositionem Childerici, omninò nulla Francicorum Regum sive unctionis sive consecrationis sive coronationis, quæ manu Episcopali sit facta, memoria reperitur: ut meritò dubites an quid horum fuerit tum in usu: tantum abest, tunc inter ritus coronationis receptos fuisse sacram Missam. Post illa cum Francorum Regum coronatione interdum adhibita esse & Missæ sacra, legere est; sed plerun-

que tum, quando festus dies, in quem incidebat forte coronationis actus, sacra ista exposceret. Sic cum Carolus Magnus coronatus fuit Romæ, celebrata est Missa: verum erat idem dies festus Natalis Domini. Sic quando Carolus Calvus fuit coronatus in Regem Lotharingiæ Metis, celebrata fuerunt sacra omnia: erat vero dies sacer B. Gorgonij, *cujus præcipua apud Metenses veneratio*, quod etiam P. Sirmondus observavit. Observare porro est, S. Missæ illa solemnia, si quando celebrata sunt, illa omni ætate, successisse coronationis actui jam finito. Id certè liquido apparet etiam ex ijs, quæ ipse Defensor adducit de coronatione Ottonis I, Ludovici Pij, Ludovici II, & Caroli Magni: possunt vero addi & acta coronationis Caroli Calvi à P. Sirmundo edita.

IV. Hæc autem non obscurè indicant, verum esse quod suspicatus est Conringius; nempe antiquissimis temporibus Imperij Germani, solennia Missæ sacra non fuisse partem solemnium coronationis Regiæ: nec enim aliàs illa aliquamdiu abfuissent, aut vero fuissent finita demum coronatione, sed perinde ut hodie, instituta. Quod si tamen aliter cui fuerit visum, cum illo nec Conringium, scio, velle contendere; cum res sit levis. Multo minùs id ego fecerim: uti nec video, tradi id credive aut religionis Catholicæ, aut rei Romanæ atque Germanicæ quicquam interesse.

V. Aventinum voluisse duntaxat significatum, in Rudolphi I demum coronatione septem Electores fuisse functos suis muneribus, non vero tunc demum Missæ sacra inter coronationis ritus ordinarios recepta; nudæ Defensoris affirmationi credat qui volet: mihi non fit verisimile. Non debuisset verò Defensor Conringium oppugnaturus id affirmare sine omni addito argumento: nec vero illi potuit latere, talibus adversarij nudis assertionibus neminem sanum posse terreri.

AD QVÆSTIONEM III.

I. Hic non multum meliore fide rem Defensor gerit. Proposita

ſita enim tertia quæſtione in hunc modum: *An Primario Præſuli cujusque Regni jus coronandi deſeratur?* Subjungit: *Affirmat Conringius pronunciato tertio & in prima ratione.* Neutro autem loco ſimpliciter ab illo id affirmatum eſt. Quod adeo palàm eſt, ut Defenſor mox addat: *concedi à Conringio, poſſe idem jus inferiori per privilegium tribui, adeoque non ſoli ſemper præcipuo Præſuli, ſed tantum communiter vel plerumque, competere.* Et vero hoc demum affirmavit Conringius; prius illud non affirmavit. Sufficit quoque hoc pronunciatum illi probando quod voluit Conringius. Nempe etiam ita patet, jure gentium Chriſtianarum poſitivo receptum eſſe, quod coronandi poteſtas in quovis regno competat primario Præſuli. Etſi enim ex ſingulari pacto, peculiari de cauſa, alibi aliud interdum obtineat, non obſtat, quo minus id hodie juris gentium Chriſtianarum poſitivi eſſe exiſtimetur. *Hodie* inquam: olim enim ubivis non idem ſtatim obtinuiſſe nemo diffitetur: idque de regno Francorum occidentali rectè demonſtravit, jam olim quidem Ivo Carnutenſis, patrum autem memoria Ioannes Tilius.

II. Quæ objicit autem porro Defenſor, illa vereor ne iterum prodant ejus inſcitiam. Negat videlicet in Italico Regno Mediolanenſem Archiepiſcopum primum eſſe, propterea quod & Ravennas & Aquilegienſis in concilijs præcedant. At verò Ravennas non fuit olim inter proceres Regni Langobardici, quod poſt dici cepit Italicum, numeratus. Ravenna enim fuit pars Exarchatus, qui S. Sedi Apoſtolicæ deinde à Pipino & Carolo Magno eſt donatus. Aquilegienſi Patriarchæ etſi in Concilio datus fuerit locus inſignior, in ipſo Regno tamen atque adeo in republica, minor ille fuit ſemper habitus Mediolanenſi. Eoque inter Metropolitanas Urbes univerſi Imperij Caroli Magni, poſt Mediolanum demum facta fuit in Teſtamento Carolino mentio Fori Iulij. Quo ſcilicet jamdudum Aquilegienſis Patriarchatus erat translatus, ceu patet ex ijs quæ diſſerit Baronius ad annum 729.

III. In Anglia quamvis de Primatu contenderit cum Cantuariense Eboracensis: ille tamen prævaluit, & propter istum Primatum sibi competere juscoronandi, jam olim asseruit: quod verbis Anselmi Cantuariensis rectè astruxit Conringius. Arelatensis cum Remensi contendere non potest: quum ille non propriè pertineat ad Regni Francici Occidentalis proceres, sed ad Regnum Arelatense vel Burgundicum. Utque fuerit Arelatensis ab Agapeto Vigilio Pelagio & Gregorio Magno quondam constitutus Vicarius & Legatus Apostolicus, non tamen eo ipso aliquid detrahitur illi Primatui, quem secuta tempestate Remensis acquisivit. Sunt enim talia omnia mutationibus obnoxia, atque à potentiorum arbitrio suspensa. Id vix dubium est, hodie in Regno Francorum Occidentali Primatum conspici penes Remensem.

AD QVÆSTIONEM IV.

I. *Vacillantibus*, ait Defensor, *sic tribus basibus* &c. At vero Conringianas quidem bases *vacillare*, tantum abest ille ostenderit, ut eas vel non intellexerit præ ruditate, vel præ animi malignitate perversè proposuerit in medium: ceu jam tum patet.

II. Addit, Conringium *initio primi membri deflectere à norma, à Regibus Romanorum ad Reges Germaniæ.* Atqui Conringius demonstravit, coronationem, quæ in Germania instituitur, pertinere propriè ad Germanicum Regnum, eoque omnibus olim seculis, ex quo etiam Romani Imperij dignitas perpetuo nexu Germaniæ fuit conjuncta, à prudentioribus coronam illam Transalpinam dictam coronam Regni Francorum, aut Alemannici, aut Teutonici. Si ista nondum capit idiota Defensor, poterit denuo in supplementum addere quæ idem Conringius disputavit præclaro, si pauca demas, libro *de Germanorum Imperio Romano cap. 12.*

III. Proponit deinde Syllogismum aliquem Defensor, velut qui comprehendat rationem Conringij, qua nimirum sit usus sectione prima; sed proponit sua h.e. mala iterum fide. Ita enim

formato

format Minorem Syllogiſmi propoſitionem & Concluſionem: *Atqui Moguntinus ſaltem in Orientali Germania, ad quam ſpectabat in diviſione Regnorum ab anno 842, cùm Colonienſis ad eam cum Trevirenſi circa annum 870 acceſſerit, erat primus Præſul Germaniæ, & manſit tempore Ottonis, ut Witikindus, Marianus Scotus, Benedictus VII, Schaſnaburgenſis, &c. Ergo ad eum ſpectat jus coronandi.* Conringius verò non egit duntaxat de ætate illa, qua facta eſt prima Imperij Carolini tres in partes diviſio, aut de ævo Ottonis Magni, ſed diſertè hiſce verbis uſus eſt: *Iam verò in Regno hoc Francorum Germanico, inter Præſules ac Principes Primatum ETIAMNUM obtinere Moguntinam ſedem, niſi fallor, omni dubio caret.* Et hanc propoſitionem ſive concluſionem ſuſcepit probandam: *ratione Primatus competere Moguntino omne jus coronandi.* De temporibus illis priſcis egit duntaxat ex occaſione: quum nimirum oſtenderet, Moguntinam Sedem hanc dignitatem primariam habuiſſe ab initio uſque Regni hujus.

IV. Delabitur mox Defenſor ad grande paradoxon defendendum; nempe Primatum competere non Moguntino ſed Colonienſi. Paradoxum inquio. Nec enim arbitror, tale quidquam aliquot ſeculis fuiſſe in univerſo Imperio auditum. Conringius ſanè Primatum Moguntinum credidit, *reſpectu* quidem *Colonienſis*, omni dubio & controverſia vacare. Cœterùm id quidem non vanè conjecit Defenſor, hoc Primatu Colonienſi admiſſo inverti poſſe Conringionam argumentationem: at Primatum illum ineptiſſimis rationibus adſtruere niſus eſt Defenſor ille. Summa omnis ejus diſſertationis comprehenſa eſt ultimis illis verbis. *Retorqueamus ergo primariam Conringij rationem contra Moguntinum jus pro jure Colonienſi. Iure gentium primario Regni Romanorum Præſuli debetur jus coronandi Reges Romanorum: At primarius Præſul, poſt Imperium ad Carolum & Francos translatum, ſemper fuit Colonienſis, ut tradunt Eginardus, Annales Francorum, Rogerius, Witikindus, Adamus Bremenſis, Leo nonus, Gregorius ſeptimus & Rupertus, cum Moguntinus in alio ſeparato Regno diu fuerit: ergo Colonienſi*

nienſi jure gentium jus coronandi Reges Romanorum ab initio huc uſque, ſine ulla temporis intercapedine debitum, fuit præ Moguntino.

V. Agemus cum homine breviter. *Primum* igitur notetur: in teſtimonium ejus, quod de Primatu Colonienſi ab initio Imperij SEMPER HVC VSQVE, SINE VLLA TEMPORIS INTERCAPEDINE continuato, à Defenſore adſeritur, adferri neminem qui ſit junior Ruperto Tuitienſi. Atqui hic vixit ætate Henrici V circa annum CIↃ CX. Ex quo tempore huc uſque fluxerunt integri quadringenti quadraginta ſex anni. Ex tanto temporis intervallo nihil omninò pro Colonienſi Primatu, *ſemper & hucuſque ſine ulla temporis intercapedine* continuato, producere potuit Defenſor, (certè nihil produxit) & tamen tam confidenter auſus fuit perpetuitatem illius Primatus Defenſor ille aſſerere. Miror ſi his revocatis ad animum, Defenſor non erubeſcat, niſi frontem habeat planè effrontem. Eſto ſcilicet, bone vir. Probaveris, Primatum Colonienſi competijſſe ad ſeculum uſque duodecimum: qua fronte idem aſſeris de omni ævo ſecuto, deſtitutus planè omni teſtimonio?

VI. Notetur *ſecundò* inſignis, ſi non ſtupor, ſaltim incogitantia Defenſoris, auſi inter Primatus ſcil. Colonienſis autores numerare Leonem nonum; & tamen non dubitantis ipſius Gregorij VII Papæ verbis uti, quibus ille ſignificat, Papam Leonem Trevirenſi Eccleſiæ ſtuduiſſe *contra honorem Colonienſis Eccleſiæ*, imò, ut ipſe accipit Defenſor (nec enim ſic interpretanda illa dixerim) ſtuduit *Trevirenſi Primatum deferre.*

VII. Notetur *tertiò*, non verecundatum Defenſorem pag. 10 in margine jactare, quaſi Primatus ille Colonienſis jam floruerit ſeculo octavo: & tamen in eadem margine initium ejus collocare in annum 813, nec in ipſo libri textu quidquam memorare quod contigerit ante annum 800. h. e. ante ſeculum nonum.

IIX. Jam verò quàm ineptè probat Defenſor, ſeculo nono decimo & undecimo, Primatum penes Colonienſem fuiſſe! Exempli

empli causa. Ottone Magno Cæsare & seculo X id factum, ostendit ex eo, quod Bruno Ottonis frater regnum Lotharingiæ rexerit & Germaniam absente fratre, quod item à Witikindo & Rogerio dictus ille sit *summus Pontifex & antistes*. Quasi talia momentanea personalia munera probent ipsiusmet Sedis alicujus dignitatem, & quidem perpetuam ac constantem: titulus etiam *summi Pontificis* ea ætate non fuerit attributus ferme cuivis honoratiori Episcopo.

IX. Similiter ut probetur, seculo undecimo Primatum illum Coloniensem fuisse agnitum, *Primum* & potissimum adfertur argumentum ex eo, quod ab Henrico III Cæsare Hermannus Coloniensis in nonnullis actibus fuerit Moguntino prælatus. Tanquam si Episcopus quis aulæ gratia valeat, id signo sit, ipsammet Episcopi Sedem præeminere. Nemo profectò veterum dixit, Hermannum ob Primatum Sedis suæ Henrico III Cæsari præ Moguntino placuisse. Lambertus Schafneburgensis scribit illud factum *propter claritatem generis*. Et verò erat Ottonis III Cæsaris sorore genitus, longè proinde nobilior Luitpoldo Moguntino. *Alterum* argumentum capitur ex privilegio quodam à Leone IX concesso: quod tamen Colonienses hyperaspistæ, etsi sæpius moniti, non fuerunt ausi publicare, & in quo simul altum est de Primatu silentium. *Tertium* accipitur à testimonio Adami Bremensis qui de *augmento Primatus hujus sit locutus* c. 152. historiæ. Verum nec ille de Primatu habet verbulum ullum. De quo autem ille *augmento* loquatur, patet ex verbis Adami, quæ, quoniam ita placuit Defensori, integra non mutila adducemus. *Coloniensis* (inquit Adamus, de Annone verba faciens) *quem avaritiæ notabant, omnia quæ vel domi vel in Curia potuit corradere, in ornamento suæ posuit Ecclesiæ. Quam cùm prius magna esset, ita maximam fecit, ut comparationem evaserit omnium quæ in Regno sunt Ecclesiarum.* De *augmento* itaque *divitiarum* locutus est Adamus, non de incremento Primatus. *Quarto* loco adducuntur verba quædam Gregorij VII Summi Pontifi-

cis, in quibus quidem ſermo fit de gratia qua in Curia Romana tum temporis præpolluerit alijs Colonienſis, at de Sedis ipſiusmet Primatu ne quidem unico verbulo quidquam indicatur. *Poſtremò* adferuntur & Ruperti Tuitienſis monachi, tantum non in ipſa Agripprina viventis, verba quædam de Primatu Colonienſi. At non affirmat ille, Primatu iſthoc frui & gaudere Colonienſem; ſed quem olim obtinuerit, propterea quia S. Creſcens Pauli diſcipulus non tantùm Moguntiæ ſed etiam Coloniæ prædicaverit Evangelium. Quod nihil facit ad Primatum quo de nunc ſermo. Tædet inquirere in ea quibus voluit Defenſor probare Primatus Colonienſis veſtigia per ſeculum nonum. Per ſe enim concidunt.

AD QVÆSTIONEM V.

I. Conqueritur Defenſor, *Alterum membrum & rationem à Conringio obſcurius propoſitam.* Sed injuriam fieri V. C. oſtendit Aſſertio ipſa.

II. Rationem deinde Conringianam Syllogiſmo includens, hanc quidem propoſitionem: *Qui ſolus octingentis annis toto regno omnes coronationes extra diœceſia Colonienſem peregit, is jus habet ubique* (extra diœceſin Colonienſem ſcil.) *coronandi*; admittit, ſi limitetur; *qui nomine ſuo, non impedito vel abſente coronatore ordinario.* At inepta eſt limitatio illa de *coronatore ordinario*. Quæſtio enim eſt, quis ſit coronator ordinarius *extra* diœceſin Colonienſem? Moguntina Sedes id ſibi tribuit, alium *ordinarium coronatorem* non agnoſcit. Ineptè quoque in limitatione petitur addi: *non impedito vel abſente coronatore.* Sufficit ſi coronatio fuerit facta *nomine proprio.* Hæc ſcil. propoſitio eſt clariſſimæ veritatis:

> *Quicunque ſuo proprio nomine per octingentos annos omnes coronationes extra diœceſin Colonienſem peregit, illi jus eſt extra diœceſin illam coronandi.*

Tali propoſitione Majore uſus eſt Conringius. Nec alio ſenſu omnia ſua voluit accepta. Vt Minor poſſit eſſe, volente Conringio:

At

At Moguntinus suo proprio nomine per octingentos annos omnes coronationes extra diœcesin Coloniensem peregit.

Probavit etiam hanc Minorem Conringius, adductis in medium omnibus coronationibus extra diœcesin illam Coloniensem institutis: provocavitque ad unanimem historiæ consensum, quo constet, nunquam à Coloniense Regiam coronationem extra diœcesin esse factam. Vt verò hæc Conringiana redderet irrita Defensor laboravit quidem, sed omni præsidio à commentis mutuato aut meris ineptijs.

III. Non potuit scil. vel unum exemplum producere factæ à Coloniense coronationis Regiæ extra diœcesin: confugit igitur ad coronationem Elisabethæ Reginæ, quam solus nomine & jure suo Norinbergæ instiruerit. At *primum* de Regis non de Reginæ coronatione quæstio est. Ipse Streithagius pag. 66 ait: *Ad viros nos respicimus: non ad reginas. Secundo* factam illam coronationem nomine Coloniensis, debuisset probari, non nudè asseri, cum hoc constanter à Moguntinis ut & à Conringio fuerit negatum, *Tertio* Præsumptio certè facit pro Moguntino in *silentio* monumentorum: quia scilicet omnes coronationes regias ipsas Moguntinus extra diœcesin nomine proprio instituerit, & nunquam fuerit passus illas à Coloniense institui. Quæ adduntur à Defensore, longè adhuc sunt ineptiora & fabulosiora.

IV. *Primum* est: *Ante Ottonem Magnum Aquisgrani plures Reges Romanorum esse coronatos.* Quasi hoc ad rem faciat, cùm quæratur, quis coronaverit Reges extra diœcesin Coloniensem. Sed &, qui illi sunt *plures* Reges? Non nisi duo scilicet ibi, reliqui omnes alibi coronati sunt.

V. *Secundum* est: *Arnolphum, Ludovicum & Conradum primum à Moguntino unctos, nullum veterum dixisse: potuisse eos etiam Coloniensem extra suam diœcesin, & Ludovicum anno 908 Aquisgrani cum degeret, consecrare.* Dixerit verò id disertè nemo. Dixerunt tamen coronatos illos esse in Germania Transrhenana, & quidem alios Francofurti ad Mœnum, alios Forcheimij h. è, in diœ-

cesi *tunc* Moguntina. Quî verò tum istis in locis Coloniensis *potuerit* coronare? quùm tamen canones vetent consecrationes extra diœcesin fieri, & Coloniensi non per constitutionem aliquam Caroli Magni, non per aliquam Bullam Sedis Apostolicæ, jus novum fuerit concessum: quod prolixè astructum est cum alibi tum nuper in Examine Argumenti primi & secundi Coloniensis. An Ludovicum *potuerit* Coloniensis *consecrare Aquisgrani* nec ne, nihil ad rem facit. Debuisset probari, consecrationem illam esse factam. Sed & probaverat Conringius ex Reginone, Ludovicum *anno 900 Forchemij coronatum, & regijs ornamentis indutum in fastigio Regis fuisse sublimatum.*

VI. *Tertiò* fatetur quidem, Henricum à Willegiso Moguntiæ coronatum, sed *violato jure Coloniensi*, ideoque *eam coronationem, ut vitio factam, esse Aquisgrani renovatam.* At verò Coloniensem isthac ætate fuisse conquestum de jure suo coronandi per Willigisum violato, nemo memoravit: debuisset autem conqueri ex sententia Defensoris. *Renovatam* porrò fuisse *coronationem Aquisgrani*, merum est commentũ. Vrserat verò jam Conringius: etsi ponas, factam illam *renovationem*, tamen etiam ita liquere, coronationem quæ extra diœcesin Coloniensem instituitur non fuisse Coloniensis sed Moguntini juris.

VII. Fabulosum porrò est & commentitium illud etiam, quod *quarto loco* causatur Defensor: *extorsisse Conradum Secundum Coloniensis consensum, ut Moguntiæ coronaretur, ea lege ut Augusta Coloniæ coronaretur.* Nemo scriptorum veterum verbulo tangit, vel *extorsionem*, vel talem aliquam *legem*. Nihil horum habet Wippo; & tamen non verecundatur Defensor cum suis asseclis alibi ad Wipponem fronte intrepida provocare. Fabulosum quoque est illud Defensoris de Rudolphi Suevi coronatione, illam tanquam *vitio factam triennio suspendisse* Gregorium VII idque docere Baronium. Id verum; illam coronationem, missa etiam corona Cæsarea, triennio post probasse Gregorium Septimum; at hanc vitij accusasse, & quidem fortè, quòd Mogun

tiæ non debuerit institui à Moguntino, falsissimum est. Imò verò probavit illam Gregorius VII, Coloniensis juris coronandi nulla omnino mentione factâ.

IIX. Similiter commentum est, quinque ultimas Cæsarum coronationes Germanicas *nomine Coloniensis sedis* esse peractas. Commentũ est, Cæsares & Septemviros cavisse Coloniensi de *jure coronandi extra etiam suam diœcesin vi Aureæ Bullæ salvo mansuro.* Quis non miretur frontem Defensoris talia commenta jactare in publicum ausi, penè in conspectu Cæsaris, Electorum, & omnium Imperij Ordinum?

AD QVÆSTIONEM VI.

I. Coloniensi tantum competere jus intra suam diœcesin consecrandi, *quatuor levissimis indiciis Conringium probare*, ait Defensor. Conringius autem in Iterata Assertionis editione primum seorsim id probavit, deinde sex rationibus ostendit, ipsosmet Colonienses antehac in eadem sententia fuisse. Rationes verò illæ num sint *levissimæ* nec ne, permittit judicandum omnibus, qui valent judicio ab amore aut odijs non impedito. *Levissimas* esse responsiones Defensoris, ipsa res docet. In eo quod duo ultima argumenta Conringiana secundæ editionis planè dissimulaverit, ostendit sanè Defensor animum à veri & recti indagatione alienum. Perinde atque in eo, quod recitans summam quatuor priorum Conringij argumentorum, facta Rupertini privilegij mentione, non dubitaverit in margine scribere: *vi privilegij potest Coloniensis ubique coronare:* ipsi conscientiæ suæ vim facit, probè conscius scilicet, Rupertino saltim privilegio talem potestatem Coloniensi Sedi datam non esse. Sophistam porrò quoque sese demonstrat, dum ita obscure ad rationes Conringianas respondet, ut nemo facile sensum ejus assequatur. Paucis tamen omnia examinabimus. Pleraq; jam in *Altera Dissertatione adversus Iteratorem vindiciarum* sunt percurata.

II. Igitur ad Primum argumentum Conringianum respondens Defensor non audet negare, historicos antiquos, narran-

rantes illas quæ à Colonienſi de jure coronandi ſunt motæ Sedi Moguntinæ controverſiæ, non alium à Colonienſi prætextum uſurpatum memoraſſe, quam à diœceſios jure petitum; cauſatur tantum *Schafneburgenſem tamen addere, privilegium Colonienſi vindicatum eſſe, nam privilegio ante Leonis Noni obtinuiſſe.* At verò de aliquo per Leonem IX impetrato privilegio nihil habet Schafneburgenſis. Facile etiam apparet, Lambertum *privilegij* voce non tabulas ſcriptas, ſed nil niſi prærogativam intelligere: quæ eſt vulgaris vocis *privilegij* acceptio. Vt verò Lambertus voluerit Leonis aliquod privilegium memorare: hoc tamen utique ſatis indicavit, cauſas, quare Hermanno Colonienſi ſit facultas coronandi Aquiſgrani tunc data, non fuiſſe niſi duas, nempe *claritatem generis* qua Luitpoldo Moguntino ille præcellebat, & *jus diœceſanum.* Et verò ipſum illud Leonis IX privilegium ad ſolam diœceſin Colonienſem reſtrinxiſſe omnem Colonienſi datam coronandi poteſtatem, ex ipſis Colonienſibus liquido nuper oſtenſum eſt in Examine Argumentorum Colonienſium ſectione ſecunda. Illa quidem igitur Defenſoris cauſatio, qua credit vim argumenti primi Conringiani ſeſe effugere poſſe, inanis eſt & verè *leviſſima.*

III. Moguntinum *in Ottonis Magni coronatione jus nullum ſuum neque primatum prætendere auſum*, nullo argumento fultus addit Defenſor. Nec ad rem noſtram hanc facit, quid tùm prætenderit Moguntinus. Satis eſt noviſſe, Colonienſem nihil tum prætendiſſe præter jus diœceſeos ſuæ. Poſterius verò clariſſimè patet ex Witikindo: paulò obſcurius quidem, ut tamen nec ita poſſit latere nobis. Rem eandẽ indicavit Dithmarus lib. 2. ſub initium hiſce verbis: *Hunc* (Ottonem ſcil.) *Hildebertus Moguntinæ cura cathedræ, cum licentia Wigfridi ſanctæ Sedis Colonienſis Archipræſulis, in cujus diœceſi hoc fuit, & auxilio Trevirenſis benedixit* idque Aquiſgrani. Vbi & merentur notari illa, *Moguntinæ cura cathedræ.* Videntur enim ſignificare, Hildebertum in hac coronatione habuiſſe ſingularem *curam Moguntinæ ſuæ cathedræ.*

IV. Æ-

IV. Æquè ineptum est quod item adjicit Defensor. *In altera causa*, agitata nimirum Henrico III Cæsare, *prorsus cecidit Moguntinus, nec ausus deinceps est Coloniensi litem intendere.* Ceciderit enim. Cecidit verò non nisi quod Aquisgrani prævaleret jus diœcesanum Coloniense. Quod verò de Aquisgranensi coronatione (nam de sola illa fuit semper controversia) imposterum *Coloniensi habili litem nullam intenderit*, effecit quæ semel in eam, Henrici III Cæsaris cura, facta erat à Luitpoldo Archiepiscopo consensio.

V. Ad secundum argumentum Conringianum respondens Defensor, vix tangit quidem ejus vim. Potest illud huic Syllogismo includi:

Quicunque per octingentos annos, etsi sæpè infinitis Imperij turbis invitati, ne quidem tentarunt extra diœcesin suam coronare, illi non habuerunt persuasum jus coronandi extra diœcesin sibi competere.

At Colonienses Archiepiscopi per octingentos annos, etsi infinitis Imperij turbis invitati, ne quidem tentarunt extra diœcesin suam coronare. Ergo.

Quod ad Majorem faciat nihil adfertur à Defensore. Ad Minorem quadantenus facit illud: *Quid opus erat Coloniensem tentare extra suam diœcesin, qui ex officio jus habet solus ubique consecrandi? Noluit enim sine gravi caussa Carolinam legem infringere.* At, bone Defensor, jam monuerat Conringius, per tot secula sæpissimè gravissimas fuisse causas, quare coronationes extra diœcesin instituerentur: quemadmodum *opus fuit* jam integro seculo illud uti fieret. Certè causas defuisse nemo dixerit, nisi rerum veterum Imperij imperitus.

VI. Ad Tertium argumentum Conringianum nihil potuit nisi per commentum adferre Defensor, quo ostenderet Colonienses unquã fuisse conquestos velut de injuria sibi facta, quod Moguntinus extra diœcesin Coloniensem instituisset coronationem; antequam quidem fuit vulgo creditum, non nisi Aquis-

grani ritè coronationes inſtitui. Adducit enim ille quidem Sanctum Heribertum & ſucceſſorem illius, quaſi conqueſtos de coronatione à Moguntino peracta: ſed jam tum diximus fabuloſa hæc eſſe, & contra fidem omnium veterum monumentorum efficta. Imò verò *præſente habili Colonienſe nec reclamante*, Conradum Secundum à Moguntino coronatum eſſe, ex ipſo conſtat Wippone: ut nihil ſit falſius eo quod ſubjungit Defenſor, *non eſſe ullum veterem ſcriptorem id qui teſtetur.*

VII. Quarti etiam argumenti Conringiani vim Defenſor vel non aſſecutus eſt, vel ſciens volenſque iterum diſſimulavit. Poſſet illud hoc ſyllogiſmo includi:

Quicunque privilegio indulgeri ſibi fecerunt facultatem coronandi in ſua diæceſi extra Aquiſgranum, illi non crediderunt, ſibi jam tum competere jus coronandi ubivis locorum, etiam extra diæceſin ipſam.

At Colonienſes Archiepiſcopi poſt Auream Bullam Carolinam fecerunt ſibi per Rupertum Cæſarem indulgeri facultatem coronandi in ſua diæceſi extra Aquiſgranum.

Ergo Colonienſes Archiepiſcopi poſt Auream Bullam Carolinam non crediderunt, ſibi jam tum competere jus coronandi ubivis locorum etiam extra diæceſin.

IIX. Quæ à Defenſore adducuntur, nec ad Majorem nec ad Minorem atque adeò ad rem omninò nihil faciunt. Videtur ita loqui, quaſi Conringius præcipue urſerit, *ſerò* demum Rupertinum Privilegium impetratum, idque dediſſe poteſtatem ubivis coronandi. Mirabitur ſive ruditatem ſive σοφιστικὴν Defenſoris quiſquis reſponſionem cum Conringiano illo argumento contenderit. Prodit verò & in eo ſuam ruditatem idem Defenſor, quod non obſervaverit vitium à typographo commiſſum in nomine Mamerani. *Addit* (inquit) *auctior editio Mameranum:* Cùm tamen Nicolaum Mameranum non temerè ignoret qui rerum Caroli V paulò ſtudioſior eſt indagator. Præter verò Mameranum alij quoque ætate illa à ſola diœceſi crediderunt

diderunt esse ius coronandi, quod Coloniensi Aquisgrani competit. Dabo nunc unum omni exceptione majorem, & Germanicarum rerum longe peritissimum, Albertum Crantzium lib. 8. Saxon. cap. 21. Verba ejus sunt: *Studuit huic* (Richardo) *Conradus Archiepiscopus per ea tempera Coloniensis: qui perductum Aquisgranum de more coronavit. Quod illius operæ ab antiquo tanquam in sua provincia apud D. Karolum primum permittitur. Datur hoc memoriæ magni Imperatoris, qui ibi creber mansit, ibique tumulatus tubam expectat novissimam.*

IX. Quæ sub finem à Defensore annectitur satis atrox Conringij accusatio, itidem vix dixeris cuinam sit vitio tribuenda. *Fraudis* nempe insimulatur Conringius, & tanquam *egregiè Lectorem deceperit, promittens probaturum se, Coloniensem jus coronandi sola consuetudine habere, ex liberali concessione Moguntini, nusquam verò verbo indicaverit quando sit Coloniensi facta ea concessio & ejus consuetudo cœpta.* Hoc profectò cui morbo adscripseris incertum est: cùm utique Conringius in omni hoc negotio candidè atque apertè egerit, & originem rei indicaverit. Nempe primò omnium in jus illud Coloniense *consensisse* Luitpoldum Moguntinum, etsi vix & ægrè ille consenserit, teste Lamberto Schafneburgensi: ex eo verò *consensisse* & secutos Archiepiscopos Moguntinos: atque ita ex *diuturno consensu* & hinc nata consuetudine jam illud Coloniense jus esse roboratum.

AD QVÆSTIONEM VII.

I. Antequam ad castigationem eorum, quæ Quæstione VII à Defensore sunt disputata, aggrediamur, præmonendum est, illa omnia quæ sectione IV & V à Conringio, atque adeò à Defensore Quæstionibus oppositis Septima Octava & Nona diputantur, ad causam S. Sedis Moguntinæ quæ ipsi est cum Coloniensi, nihil pertinere. Aquisgrani enim soli Coloniensi, hodie quidem, competere coronandi jus, ultro concedit Eminentissimus Moguntinus Elector. Jure an injuria, aut quo prætex-

tu, qua occaſione, illam poteſtatem Colonienſes initio nacti ſint, in controverſiam non venit: nec intereſt Moguntinæ cauſæ. Itaque quum mihi potiſſimum id conſilij ſit, ut Moguntinum jus in tuto collocetur, poſſim facile tres illas quæſtiones Defenſoris omittere. Scio etiam, non invito id fore Conringio: ut qui unicè amet omnem illam controverſiam nudare ab alienis litibus, & duntaxat jus S. Moguntinæ ſedis defendere: quicquid fuerit de ijs, quæ, majoris duntaxat lucis ergo, duabus illis ſectionibus propoſuit.

II. Quoniam tamen ipſemet exiſtimo, nón abiiſſe Conringium in hiſce quoque ab eo quod verum eſt, videoque nihilominus illum duriſſimè à Defenſore veritatis profeſſæ cauſa tractari, reſque omnis facit ad exactam cognitionem juris coronandi: perinde ut antehac non dubitavi ſuſcipere tutelam Moguntinæ Coronationis; ita etiam non gravabor, & veritatem ab offucijs & virum Clariſſimum ab injurijs hac quoque in re defendere.

III. In Quarta quidem ſectione Conringius inſtituit maximè probare: duo illa, quæ poſſint videri ſoli Colonienſi Sedi primò omnium conciliaſſe olim jus & poteſtatem Aquiſgrani coronandi, non eſſe veritati conſentanea aut firma. Alterum, nempe hoc: *Ex Caroli Magni inſtituto coronationes regias Aquiſgrani duntaxat ritè poſſe inſtitui.* Et illud Alterum: *Iuxta ejusdem Caroli Magni legem & canonum inſtituta Regem Aquiſgrani ſoli Colonienſi conſecrare fas eſſe.* Hinc nata eſt Defenſori Quæſtio VII *An Aquiſgrani tantum legitimè Reges Romani conſecrentur:* & Quæſtio IIX: *An Colonienſis ſolus habeat jus Aquiſgrani coronandi.* Debuiſſet autem Defenſor, ſi rectè cum Conringio voluiſſet diſputare, prout par erat, formare ita Quæſtionem VII: *An ex Caroli Magni inſtituto coronationes Regiæ Aquiſgrani duntaxat poſſint inſtitui?* Quæſtionem Octavam verò: *An juxta Caroli Magni legem & canonum inſtituta ſolus Colonienſis habeat jus coronandi Reges Aquiſgrani?* De induſtria autem Defenſorem quæſtiones illas ita obſcurè

ſcurè propoſuiſſe, indicat utriuſque quæſtionis tota tractatio ſalebroſa, obſcura, & impedita, ut quid velit quid non velit perſpicaciſſimus vix intelligat. Solet autem hic eſſe mos quidem Sophiſtarum, veritatis autem ſectatoribus planè inviſus.

IV. Cumprimis verò illa affectata obſcuritas & tricatio adhibita eſt in tractatione Quæſtionis VII. Nec enim quæſtionem à ſeſe propoſitam apertè uſquam vel affirmat vel negat. Imò verò ipſemet videtur negativam ſententiam amplecti. Ita enim incipit: *Choragum initio Conringius agit, & tacito nomine Sanctum Heribertum inducit, aſſerentem de eſſentia regiæ coronationis Romanorum eſſe, ut fiat Aquiſgrani, non poſſe Legem Carolinam aboleri: tam inſipiens non fuit vir ille eruditiſſimus & Archicancellarius. Inſipientia* ergo eſt ex Defenſoris mente, credere Aquiſgrani tantũ legitimè Reges Romanos conſecrari. Placet ergo Defenſori ſententia negativa: quæ & Conringio placet, & ab illo fuit defenſa. Saltem hactenus itaq; inter utrumque nulla eſt diſſenſio. Debuiſſet autem hoc Defenſor profiteri, & non malignè diſſimulare. Omnis diſſenſio videtur in eo verſari; num Carolus Magnus aliquam legem tulerit de coronationibus Regijs Aquiſgrani inſtituendis? Negavit enim hoc Conringius: Defenſor verò multis clamoribus affirmat.

V. Ac Conringius quidem, paginæ 20 initio, affirmat, famam de Carolina Lege iſthac cæpiſſe demum ſeculo duodecimo. Antehac verò illius famæ nullum veſtigium reperiri, probat uſque ad paginam 23. §. *Eodem ſeculo tamen.* Officij ergo fuiſſet Defenſoris, ut idem apertè negaret vel affirmaret. Et, ſi voluiſſet negare, debuiſſet argumenta Conringiana ordine propoſita refutare. Nunc autem videas eum horum nihil agere: ſed mordere quidem illa à Conringio diſputata: ita involutè & obſcurè tamen, ut nemini hominum poſſit temere in mentem venire, quorſum pertineant omnia quæ adfert. Quod indicium eſt ſane vel inſcitiæ magnæ vel malignitatis. Nos tamen quo illa ſe dabunt loco, nonnihil (parcemus enim homini) caſtigabimus.

VI. Ipsum exordium tractationis Quæstionis septimæ incipit Defensor ab iniqua Conringij accusatione : *Hunc Choragum agere & tacito nomine Sanctum Heribertum inducere asserentem, de essentia coronationis Regis Romanorum esse ut fiat Aquisgrani, nec posse Legem Carolinam aboleri.* Quo verò indicio, Defensor, constat, hoc in animo fuisse Conringio? Si nullum est indicium, injuriosa utique & vana est isthæc tua suspicio. Qui verò etiam potuit hoc voluisse Conringius, cum multis disputet *Sect. 4. pag. 20. editionis Helmestadiensis*, ætate Sancti Heriberti illas sententias, *quod ad essentiam coronationis pertineat ut illa fiat Aquisgrani*, nondum invaluisse; & memoriam Legis Carolinæ cæpisse demum ævo Friderici I, doceat pagina 23?

VII. Meritò porrò Conringius *fabulam* vocavit omnem illam narrationem vestram *de repetita per Sanctum Heribertum coronatione Sancti Henrici Cæsaris*: meritò etiam negavit ejus auctorem esse Adelboldum. *Assertionem* scribenti fuisse sibi ad manum solum illum Adelboldi nomine à Canisio editum libellum fassus est Conringius. Vidit & doctissimi P. Gretzeri Adelboldum, longè meliorem sanè illo. In neutro tamen libello reperitur illa fabula vestra. Quamque in ea fingenda falsi sitis, expositum jam est in Examine Argumentorum Coloniensium. Eoque non est quur nunc addam verbum.

IIX. Frustrà verò etiam & ridicule Defensionem Germanicam novus hic Defensor à Conringianis telis defendit. Verba Germanica hæc fuerant: Sanctus Heribertus Coloniensis ist auff seinem recht so hart bestanden das Henricus sich von Ihm auffs new zu Achen krönen lassen müssen / *idque astipulante Gregorio V Pontifice. Vide Adelboldum in vita Sancti Hermanni.* His opposita fuerunt hæc in Assertione : *Sed & fabulosum utique est, quod habet Defensor Coloniensis pag. 59. iteratam illam coronationem peractam esse astipulante Gregorio V. Pontifice: constat enim Gregorium V obiisse anno 999, triennio integro antequam Ottoni III successit Henricus Rex. Certè sola hæc fabula apta est omnem narrationem suspectam reddere.*

Iudicet

Iudicet jam Lector, an hæc sequentia Defensoris novi satis sint Conringio refellendo. *Huic repetitæ Heriberti inaugurationi rectè astipulari dicitur Gregorius V metonymicè, licet mortuus, edita sua constitutione*; quasi ille constitutionem ediderit de coronatione Aquisgranensi per Coloniensem instituenda. Iudicet hæc Lector qui æquus & bonus est. Certè quæ addit Defensor, à culpa calumniæ haud vindicaveris: *Adeoque imperite totum scriptum Coloniense suspectum facit & fabulosum.* Nec enim Conringius *de toto Scripto* Coloniensi quidquam dixerat: sed solam illam narrationem de Heriberto fabulosam pronunciaverat.

IX. Subjungit mox Defensor pauca de Conradi Salici, Rudolphi Suevi, & Henrici V coronatione. Quæ confutatione non indigent, sed sola collatione cum Assertione instituta. Notandum autem est, hæc esse quæ Defensor voluerit reposita illis quæ Conringius attulit, ut probet Henrici II Cæsaris coronationem Aquisgrani non repetitam ut &, usque ad Henricum V de famosa isthac Lege Carolina altum fuisse silentium. Nec verò hæc Defensoris quisquam temerè intelliget. Facta verò cum ijs quæ in Assertione habentur contentione, non dubito, facile fore palam, *quid distent æra lupinis.*

X. Inde porrò fatetur Conringius, seculo duodecimo Legem illam Carolinam Aquisgranensem, quæ fertur, jam cœpisse ostentari, imò à Friderico I Cæsare pro germana & recta fuisse agnitam: atque ita passim fidem invenisse. Supposititiam tamen esse, probat nonnullis in medium productis argumentis pag. 24 & 25.

XI. Hîc verò jam contrà Defensor incipit in Conringium stomachari tam atrocibus calumnijs, ut nequeas satis hominis intemperiem mirari. *Mutata*, inquit, *scena medicum induis, qui censet Hippocratis consilio extremis morbis extrema convenire remedia, sectionem & ustionem: sic cum præter consuetudinem seculorum octo, illustres alij tituli juris Coloniensis exstent in Rescriptis Cæsareis, Bullis Apostolicis, Canonibus Sacris, & coævis antiquis Scriptoribus, quæ*

 causam

causam adversariam graviter sauciant, elevat Medicus noster omnia, halitu difflat objecta, rescindit Decreta Pontificum ut erroribus implicata, Cæsarum pragmaticas ut fabulas flammis consecrat, exsibilat Canones ut perlevis observationis, summa quidquid juri Moguntino contradicit, quantumvis sacrum & viginti Cæsarum chirographis munitum, abolendum censet, ne jus Coloniense alio fundamento, quam liberali donatione Moguntina fulciatur.

XII. At verò, ô iracunde Defensor, quam scenam mutat Conringius? An medicum agit omnis qui scripta & tabulas aliquas arguit falsi, & convictas reiicit? Quid est dictu insulsius, quid absurdius? An Conringius omnia in honorem Ecclesiæ Coloniensis dicta elevat? Ubi, & quando? An ille halitu difflat objecta? Quænam sunt illa objecta? Quod objectum ille reiicit non adductis rationibus? In Rescripta quædam summorum Pontificum ex falsis narrationibus nonnulla irrepsisse, pertinentia ad jura & instituta Regni Germanici, dixit quidem pag. 36. Dixit autem modestè profectò. An verò quisquam Catholicorum tale quid fieri posse unquam negavit? An non infallibilitatem S. Romanæ Sedis Catholici omnes fidei & morum controversijs solemus definire? An Conringius Cæsarum pragmaticas, ullo in scripto, ut fabulas, flammis consecrat? Cedò librum, indica paginam. Illam quæ Caroli Magni nomine fertur Aquisgranensem legem fictitiam esse asseruit, aliam nullam: nec hanc quidem *flammis consecravit*, aut, uti passim loqueris, *flammis abolendam censuit*. Ubinam porro exsibilavit Conringius Canones ut perlevis observationis? In omni libello ejus hæc tantum occurrunt pagina 26 de Canonibus: *Etsi enim diæcesibus singulis sua sint jura prudenter constituta per Canones Ecclesiasticos, notum tamen est, non eum esse rigorem Canonum, ut sine omni exceptione strictè semper sint observandi.* An hoc est exsibilare Canones? An in hisce verbis quidpiam occurrit, quod verum non esse agnoscat Ecclesia Catholica? imò quod verùm esse, non in confesso sit apud omnes? Postremò ubinam Conringius censet

censet abolendum, quicquid juri Moguntino contradicit, quantumvis sacrum & viginti Cæsarum chirographis munitum? Nihil tale in hoc universo orbe reperitur. Fictam censuit Legem Carolinam illam: abolendam non censuit. Nec illa juri Moguntino extra diœcesin Coloniensem coronandi repugnat: ut Coloniensem nihil juvat. Per Conringium & omnes qui jura Moguntina defenderunt, ultrò hoc semper fuit publice affirmatum. Vin igitur, Defensor, dicam uno verbo qualia illa tua sint quæ Conringio improperas? Calumniæ sunt: fœda sunt mendacia: indigna viro bono & honesto. Pudet me tui.

XIII. In eo uno mereris laudem quod paulò videaris mitior illo Vindiclaram Coloniensium autore (sive ipse fortasse mutaveris sententiam) quem *fiscali virga castigandum Conringium* non puduit affirmare pagina 100. Quasi scil. is omnis qui profitetur, Imperatoribus & Principibus interdum suppositijs & fictis tabulis obrepi, peccet in Cæsarum & Principum auctoritatem. Quid meruit ergo Cardinalis Baronius, quid Bellarminus, duo summi Catholicæ veritatis propugnatores, quid alij, qui tàm multa scripta, quæ aliquot seculis in Ecclesiam & ipsum Corpus Canonicum, ipsorummet Pontificum & Sanctissimorum Patrum mentitis nominibus, irrepserant, plurimisque imposuerant, non dubitaverunt expungere & quasi notis inusta reiicere?

XIV. Nec verò solus Conringius in dubium vocare ausus est fidem Tabularum Aquisgranensium. Fecerunt idem & alij Moguntinæ causæ patroni. Nec hi primi fecerunt, sed jam ante eos multi. Num verosimile est, Cardinalem Baronium non memoraturum fuisse tanti momenti pactum, inter Leonem & Carolum initum, de coronatione Regis Romanorum, quæ antecedere debeat coronationem Romanam, si tabulæ istæ visæ ipsi fuissent aliquam mereri fidem? Nec profectò illas ignorare temerè potuit, quem nihil ignorasse illorum temporum constat. Aubertus Miræus in Codice Donationum piarum pagina 47 di-

serte

fertè ſcribit : *nonnulla titulorum ſeu dignitatum vocabula ſuſpectum mihi reddunt ſermonem.* Ex Acatholicis I. Gryphiander IC. *lib. de Weichbildis Saxonicis cap. 35 num. 16.* diſertis verbis negat, diploma illud genuinum eſſe. Neque nunc primum in gratiam Moguntinæ cauſæ ita ſenſit Conringius: ſed jam ante annos tredecim *lib. de Origine Iuris Germanici cap. 13* pronunciavit tabulas illas ſuppoſititias. Quo patet, per calumniam ſcribi à Defenſore, legere inepto editos à Conringio libros, pagina 20 : *Carolinam* illam quam vocat *Pragmaticam in jus vocatam* à Conringio, *ut originem primogeniam Colonienſis tituli ſubruat.* Nec profectò ante annos tredecim vel per ſomnium ipſi in mentem venit illa quæ nunc eſt de jure coronādi controverſia: nec illa Carolina tabula vel tantillum juvat Colonienſem cauſam, ceu jam tùm ipſa Aſſertione pagina 35 diſertis verbis ultro eſt agnitum, & liquidò nuper probatum in Examine Argumenti primi Colonienſis.

XV. *Edere* jubet Defenſor *ineptias & affanias* (non *affamias*, ut perperam Latiniſſat Defenſor) quas ſcil. illi Carolino diplomati ineſſe ſcripſerat Conringius. Ne dubitet verò, Conringio in promptu eſſe illas edere. Sed cur id nunc quidem agat, nihil eſt cauſæ: quia omne hoc ad Moguntinam cauſam, aut ad quæſtionem à Defenſore propoſitam, nihil attinet. Imò verò quum liquido appareat, Colonienſium partium patronos, ad levem quamlibet & innoxiam mentionem injectam falſitatis Tabularum iſtarum, non incandeſcere duntaxat, ſed ſtultè bacchari ac pene furere; intempeſtivum eſt, movere nunc illam camerinam, & quaſi ignem gladio fodere. Non deerit veritati Conringius ubi ante nonnihil deferbuerit animorum hic æſtus, & per tumultus Colonienſium litigatorum licebit defœcato judicio rationes arbitrari. Iam quidem per unam Aſſertionem ſuam videtur ſibi ſat convitiorum in caput ſuum accerſiſſe.

XVI. Et verò quare ſcribat Conringius Defenſoris juſſu, quum liquidò appareat, illum ſive per animi affectum ſive præruditate, argumenta in Aſſertione in id tantum adducta, ut probetur,

betur, à Carolo non esse institutum, aut cum Leone III pactum, ut omnes Romani Cæsares Aquisgrani *initiarentur*, Romæ verò dein *sic initiati sine ulla contradictione Imperatoriam Majestatem plenius assequerentur*, (quæ verba sunt Tabularum) non assecutum esse?

XVII. Dixerat nempe Conringius: *At verò à Carolo Magno institutum non esse, ut consecratio aut initiatio Regum prima fiat Aquis, palàm est vel ex eo, quod cùm hoc privilegium existimetur traditum circiter anno 804, Carolus biennio post omne regnum suum in tres partes inter filios totidem diviserit, non nisi uni illorum attributa ea parte quæ Aquisgranum comprehendit &c.* Ad illud non nisi hoc respondet Defensor: *Quid inde conficis? non potuisse sedem Regiam & locum coronationis Regis Romanorum instituere Aquisgrani? Numquid & ipse vivus anno 813 Ludovicum filium successorem in Imperio ibi coronavit?* In margine notavit: *Objecta diluuntur.* Hoc scilicet Defensori est, *objecta diluere.* At vero ea est vis illius Conringiani argumenti, ut nec Defensor nec quis alius *diluere* id valeat.

XIIX. Syllogismo illud includam, ut tandem aliquando Defensoris, & æquè inepti Vindicis, oculos feriat.

Quicunque urbem Aquisgranensem in propriam possessionem tradit uni filiorum, & quidem illi cui Vrbis Romæ atque Italiæ imperium ex ejusdem præscripto non debet competere, ille non vult, uti omnis Romanus Imperator Aquisgrani initietur.

Atqui Carolus Magnus in propriam possessionem Aquisgranum tradidit uni trium filiorum, & quidem illi cui Italiæ & Vrbis Romæ imperium ex ejusdem præscripto non debebat competere.

Ergo.

Majorem nemo sanæ mentis negaverit. Minor perspicuè patet ex formula divisionis totius Imperij, factæ à Carolo anno 806, biennio post Leonis cum Carolo Aquisgranensem congressum, quæ à P. Pithæo primum edita inserta est Ecclesiasticis Annalibus à Cardinale Baronio. Quî verò potuerit Carolus tale quid instituere, si biennio ante iniisset pactum solemne cum Leone III

Papa de initiandis Aquiſgrani omnibus Cæſaribus, idque voluisſet eſſe perpetuum? Quod de Ludovici Pij coronatione à Carolo Aquis, poſt filiorum duorum obitum, facta addit Defenſor, nec ad Majorem nec ad Minorem, atque adeò ad rem non facit. Etiam verò hæc coronatio Ludovici Pij adverſa fronte pugnat cum illis Tabulis. Si illis enim credimus, pactum cum Leone III fuit, ut Aquiſgrani fiat Regia initiatio, ſic *initiati* autem *Romæ plenius Imperatoriam Majeſtatem* aſſequantur. Carolus verò ſtatim Aquiſgrani Ludovicum filium ſuum coronavit Imperatorem: utque ex Onuphrio ipſomet jam ante adduxit Defenſor, Ludovicus ab illo uſque die quo à Patre dictus fuit Imperator, *Imperij annos* numerare ſolet; perſuaſo utique & Patre pariter & Filio, nihil deeſſe amplius Imperatoriæ Majeſtatis, aut Romæ demum illam aſſequendam eſſe.

XIX. Pari verò modo Defenſor nec ſecundum Conringij argumentum aſſecutus eſt, petitum ex eo *quod Ludovicus Pius ſtatim anno 816 non Aquiſgrani ſed Rhemis à Stephano Papa coronari ſe fecerit, cùm tamen memoria Carolinorum inſtitutorum recentiſſima tum eſſet, & apud Pium filium obſervatio eorum longè religioſiſſima.* Reſpondens enim, *quid tum?* ait. *Quod Romæ facere debuerat Rhemis præſtitit.* Imò verò, ſi ex recentiſſimo pacto cum Pontifice Leone inito Aquiſgranum fuit caput & Sedes Imperij Tranſalpini, & ſi ibi demum ritè fiat initiatio Cæſarea, non Rhemis ſed Aquiſgrani debuiſſet illa quoque coronatio inſtitui.

XX. Hæc duo duntaxat argumenta adducere in medium placuerat Conringio: & tamen ne hiſce quidem *diluendis* par fuit Defenſor. Quid ab illo exſpectemus igitur confutationem argumentorum, quæ adverſus ipſas Tabulas illas plurima in promptu habemus? Ea verò, ſi opus, depromptum tandem iri, ne ambigat.

XXI. Dixerat porrò Conringius: *nolle ſe urgere, quod nemo plane omnium Caroli poſterorum memoretur Aquiſgrani conſecratus, etiam illorum quorum in ditione fuit Aquiſgranum.* Defenſor verò pro-

rumpit

rumpit in hæc verba : *Miſeret me tuæ memoria, Conringi : hoc loco negas his verbis, nullum Caroli poſterorum Aquis coronatum. Nemo ais, &c. poſt lineas 18 ex Thegano deſcribit Aquenſem Ludovici Pij coronationem.* Me verò, ô Defenſor, miſeret & fidei, & judicij, & memoriæ pariter tuæ: memoriam autem Conringij video integram eſſe. Conringius dicit, neminem Caroli poſterorum *memorari* Aquiſgrani eſſe CONSECRATUM : Tu mala fide ſcribis, negaſſe Conringium, *quenquam Aquis eſſe coronatum.* Conringius dixit cautè, *neminem memorari conſecratum* : neminem conſecratum eſſe, affirmare noluit, haud neſcius non omnia literis memorata, & fortaſſe conſecratum quem eſſe, etſi memoria ejus haud ſuperſit. Tu verò dum non diſtinguis inter *coronationem* & *conſecrationem*, item inter conſecrationem *factam* & *memoratam*, eo ipſo oſtendis, quàm imbecille tibi ſit judicium, atque impar rebus arbitrandis. Memoria denique tua quàm ſit turbata, oſtendis, quod cùm allocutus fuiſſes Conringium, ſcripſiſſesque *negas his verbis*, illis verbis recitatis mox in tertia perſona formato ſermone addas: *ex Thegano deſcribit.*

XXII. Non eſt verò quod arbitreris, Conringium memoriæ lapſu ſibi contradixiſſe. Primo loco eſt locutus *de conſecratione*, altero ex Thegano de *coronatione*. Quod ſanè tu velut certum aſſumis, omnem coronationem habuiſſe *olim* conjunctam conſecrationem, id à vero eſt alieniſſimum. Certè monumenta antiqua conſulentibus manifeſtum eſt, quaſdam coronationes fuiſſe Laicas, ut ita loquar. Non aliam fuiſſe coronationem illam Ludovici Pij, qua de ſermo eſt, per fit veroſimile; quoniam non ſacerdotali manu, ut in ſacris coronationibus jam tum mos fuit, ſed propriâ impoſitio coronæ facta eſt. Certè in Thegano ſacræ alicujus ceremoniæ, in omni iſto coronationis actu celebratæ, nulla fit mentio. Sed diſertè ille dicit: *Hoc facto* (h. e. poſt impoſitam coronam) *audientes miſſarum ſolemnia ibant ad palatium.* Et verò probabile fit, Carolum ſacram coronationem Cæſaream (qualis Ludovico deſiderabatur, ut qui puer ab Adriano

fuiſſet unctus & coronatus nõ niſi Rex) Pontifici Romano, cui illa competebat paragenda, reſervaſſe, & hanc eſſe quam Stephanus Papa contulit. Lotharium & fratres itidem coronatos fuiſſe Aquisgrani, noverat Conringius. Monito illo Defenſoris non erat opus. At non legerat *memoratam* eorum *conſecrationem.* Hanc ubi produxerit *memoratam*, cedet Defenſori: interim exiſtimabit Defenſorem luſiſſe operam. Quid verò, ſi ille petat ſibi à Defenſore monſtrari fideli teſtimonio, quenquam poſterorum Caroli poſt filios Ludovici fuiſſe vel coronatum Aquiſgrani? Æqua utique petitio fuerit. Si enim uſque adeò (ut in illis eſt Tabulis Aquiſgranenſibus) magna tum fuit in auctoritate Aquisgranum, ut ex inſtituto Caroli ibi debuerit coronatio fieri Regum, utique ſaltim Reges Lotharingiæ veroſimile eſt coronari ibi debuiſſe; at hoc nuſquam legitur. Ex adverſo novimus, Carolum Calvum occupati Regni Lotharingici coronam Metis accepiſſe, Carolum Craſſum verò & Arnolphum & hujus filium Ludovicum, tametſi Aquiſgranum in poſſeſſione ſua habuerint, in Germania Transrhenana fuiſſe coronatos: de alijs Caroli poſteris Lotharingiæ dominis omnia incerta eſſe.

XXIII. Hiſce probè expenſis patet, illas repetitas pag. 21 Defenſoris in *temeritatem* ſcil. *Conringij* debacchationes & calumnias nova depulſione non indigere.

AD QVÆSTIONEM IIX.

I. Jam ante conqueſti ſumus, quæſtionem hanc ita eſſe propoſitam, ut non tangat ſtatum controverſiæ à Conringio motæ; & tractationem ejus ita inſtitutam, ut nemo facile aſſequatur, quid vel Conringius vel Defenſor ſibi voluerit. Debuiſſet nimirum Quæſtio hæc ſic proponi:

An ſolus Colonienſis vel ex Caroli Magni lege, vel ex præſcripto Canonum, jus habeat Aquiſgrani coronandi?

Affirmativam ſententiam reprobat Conringius. Quæſtionis autem à Defenſore propoſitæ: *An Colonienſis ſolus habeat jus Aquisgrani coronandi*, affirmativam amplectitur. Hodie ſcil. & jam

ab

ab Henrici usque III Cæsaris ævo illud jus soli Coloniensi competere, ultiò fatetur.

II. Videtur autem ita disputare (obscurat enim & intricat omnia) Defensor, quasi & vi legis Carolinæ, & auctoritate Canonum, jus illud soli Coloniensi debeatur. Videamus quàm benè.

III. De Lege Carolina disputat primum usque ad illa pag. 24. *Rides me adhuc:* ita tamen ut more suo præmittat atrocem in Conringium calumniam, dicens; *abolita jam Pragmatica ad sacros Canones rescindendos accingitur.* Nec verò Conringius *abolitam* voluit illam quam ineptè appellat Defensor *Pragmaticam*; *à sacris autem Canonibus rescindendis* animo est alienissimo, & quanquam Acatholicus, Sacræ Antiquitatis tamen non irreverens.

IV. Quod Legem Carolinam attinet, meritò negavit Conringius, ulla unquam lege à Carolo Magno datum solis Archiepiscopis Coloniensibus Aquisgrani jus coronandi. Nec enim talis alicujus legis in omni antiquorum temporum memoria aut vola aut vestigium reperitur. Conringius dixerat, ne quidem talem legem hactenus fuisse factam, tantùm abest, ut quæpiam genuina Lex cuiquam hominum fuerit visa. Debuisset jam Defensor producere talem aliquam legem. Sed miser non potuit: ut pertinaciam verò ostenderet, confugit ad ratiunculas. Quas tamen nemo itidem facile intelliget, nisi legerit Vindicem Coloniensem. Vno enim eodemque spiritu uterque agitatur.

V. Ratiunculæ videntur tres esse: I. Petita ex jure diœcesano. II Ex testimonio Munsteri, Crusij, & Azorij. III Ex Hildeboldi Coloniensis dignitate & actibus. Omnes pluma leviores, & nihil perinde ostendere aptæ quam levitatem judicij aut animi perversitatem, queis Defensor laborat.

VI. Ad primam hæc pertinent: *Numquid si in Mariano Aquensi templo solium Regum coronandorum est erectum, Metropolita solus eos ungendi gaudet potestate?* Respondeo autem; posito etiam antecedente consequentiam tamen non valere: idque propterea, quoniam coronandi jus non propriè est jus metropoliticum.

 Hoc

Hoc poſterius vel admittere cogitur Defenſor etiam invitus, vel fateri debet, Colonienſi non competere jus coronandi niſi ubi metropolitam agit, atque adeò non niſi in propria diœceſi. Sole ſunt hæc meridiano clariora; & tamen, quaſi ſint talpis cæciores, partium Colonienſium illi duo patroni, Vindex & Defenſor, non vident ſeſe hîc teneri. Iam verò quis paulò ſanioris etiam judicij non ſentit, Munſteri Cruſij & Azorij teſtimonia non eſſe paria quæ idoneè probent in re controverſa, quid actum ſit tempore Caroli Magni: & tamen vim omnem ſui argumenti in illis Defenſor collocat. ἀῤῥωστία id eſt διανοίας, prout loqui ſolebat Ariſtoteles.

VII. Æquè ſtupidum eſt argumentum tertium. Hildeboldum apud Carolum Magnum fuiſſe ſummæ auctoritatis & gratiæ: fatemur. Fac verum etiam eſſe, quod adeò ſtudioſè conatur perſuadere, ab Hildeboldo Ludovicum Pium *eſſe unctum & conſecratum.* An hinc ſequitur: Carolum Magnum lata lege omnibus & ſolis Archiepiſcopis Colonienſibus contuliſſe jus Aquiſgrani coronandi? Ita colligentem Vindicem ex merito excepit jam Examen Colonienſis argumenti primi. Si Defenſor poterit ſalva forma commodum hinc ſyllogiſmum exſculpere, promitto ipſi pro quavis propoſitione quicquid opum eſt mearum. Obiter verò obſervabit; qui ex ſequioris ævi ſcriptoribus coronatum aut conſecratum ab Hildeboldo perhibent Ludovicum Pium, illos ferè coronationem illam rejicere in annum 814 poſt obitum Caroli patris. De hac coronatione verò ita judicare Colonienſem Gelenium, virum & Vindice & Defenſore & ſannione Streithagio infinitè meliorem majoremque, vi adactum veritatis, *Hierothecæ pag. 47: Quod addunt Chronica Colonienſia, & ex ijs Chronicon Magnum Belgij, Ludovicum Caroli Magni filium ab obitu parentis ab Hildeboldo fuiſſe coronatum, commentum eſt, & nulla nititur auctoritate. Nam Sigeb. ad annum 812, Regino, Theganus, Baronius ad annum 813, & Marianus Scotus ad annum 814, autores ſunt, Ludovicum juſſu parentis adhuc vivi in palatio Aquiſgranenſi*

nenſi

nensi diadema ex altari majori acceptum sibi imposuisse. Vbi cum Gelenio convenerit Defensor, poterit porrò facere periculum instruendo illo syllogismo.

IIX. Pergit verò jam sycophantam agere. *Rides* (ait) *me adhuc laudare Pragmaticam à te Vulcano consecratam; ludionem indutus, qui protritus Cæsareis Rescriptis ad incidendos canones aciem acuis.* Calumnia est, Conringium *Vulcano consecrasse quam ille vocat Pragmaticam.* Calumnia est, Conringium *aciem acuere ad incidendos Canones.* Ineptum est dictu, ut *aciem acuat ad incidendos Canones* Conringium *ludionem induisse:* nec verò ludionum est *acuere aciem*, sed lanistarum forte aut lanionum.

IX. Jam tum verò ad præcedentem quæstionem adduxi verba ipsa Conringij de Canonibus. Quæ profectò liquidò ostendunt, ultrò agnoscere illum, *per Canones prudenter esse singulis diœcesibus sua jura instituta*; tantum hoc monuisse, *non esse eum rigorem Canonum ut sine omni exceptione stricte semper sint observandi: circa consecrationes sæpenumero aliquid indulgeri solere.* Hæc profiteri, an sit *Canones rescindere*, & *ludionem* aut lanionem agere, omnibus bonis & æquis judicandum permittitur.

X. Novit proculdubio Conringius, quæ ipse his quidem est verbis professus, esse hodie nota in vulgus omnibus Catholicæ Ecclesiæ filijs. Non quasi cujusvis sit, pro libitu Canonum rigorem mollire; sed simpliciter, fieri id rectè posse ab ijs, quos penes est dispensandi facultas. Existimabat item Conringius in Assertione sua, saltem à Coloniensium nemine ea in dubium vocari posse: *quum ipsimet velint omnes consecrationes Regias etiam extra suam diœcesin à sese instituendas esse.* Denique exemplo Ottonis I II III & Wilhelmi Hollandi probavit, duntaxat olim Coloniensibus fuisse persuasum, nec Carolinam aliquam legem nec Canones obstare, quò minus Moguntinus Aquisgrani ritè potuerit consecrare vel ungere.

XI. Contra hæc ita sese gerit Defensor, ut ὕστερον πρότερον movens omnia, satis prodat vel ruditatem suam vel malignitatem.

tem. Nec enim in recitandis Conringianis bonam fidem præſtat, nec in refellendis rectam vim judicij. *Si Canones* (inquit) *opponas, prætextum vocas perlevem, licet antiquiſſimum: non eos ſtrictè obſervandos, cum ſacrum characterem non imprimat.* Dixerim typographi vitio excidiſſe *coronatio*, ut ſit legendum, *cum ſacrum characterem non imprimat coronatio.* Conferat verò æquus Lector, cui tanti eſt, hæc Defenſoris cum ijs quæ de Canonum prætextu illo habentur pag. 26 Aſſertionis Conringianæ.

XII. Cumprimis verò bonam mecum fidem deſiderabit, ſcio, qui contulerit Conringianæ Aſſertionis illa quæ leguntur pag. 27 §. *Non vocabitur*, cum dilemmate formato quaſi ex mente Conringij à Defenſore pag. 25. *Ridiculo inſtas* (inquit) *dilemmate, quo merito Canonum te rudem profiteris. Vel Canones ſunt ſtrictæ obſervantiæ nec potuit contra eos Colonienſis Moguntino permittere unctionem, vel non ſunt ſtrictæ obſervantiæ, neque prohibent regias in aliena diœceſi conſecrationes.* Hoc dilemmate diſertis profectò verbis nuſquam eſt uſus Conringius. Interim verum eſt, ſi potuit in diœceſi Colonienſi Moguntinus conſecrare, ipſi olim Colonienſes crediderunt, Canones nō prohibere, quo minus Moguntinus quadā juſta de cauſa Aquiſgrani coronationem ſacram inſtituat; atque adeò Canones non eſſe adeò ſtrictæ obſervantiæ, ut per diſpenſationem mitigari nequeant; imò per conſequens Canonum prætextum leviorem fuiſſe, quàm ut unicus ille prætextus ſoli Colonienſi concedere debuerit Aquiſgranenſem coronationem contra Moguntinum, Primatus & poſſeſſionis jure eandem ſibi ætate Henrici III Cæſaris vendicantem. Potuit enim utique, fatente ipſo Defenſore, admittere in diœceſi ſua Moguntinam coronationem, non obſtante Canonum rigore, Colonienſis: ſolus rigor ergo Canonum non potuit etiam jure Moguntinum à coronatione excludere.

XIII. Scribit porrò Defenſor: *Soli Colonienſi quoties locali cedere privilegio vult, conceditur per omnem Germaniam, ex officio & lege ſuperiore, Regem, per ſe vel alium conſecrare.* Eſto: etiam ſi verum

verum non ſit. At verò hinc palàm eſt, ſi lex aliqua ſuperior & officium jubeat, per Canones impediri non poſſe aut debere, quo minus conſecrationes fiant ab aliquo extra diœceſin. Quid aliud verò voluit Conringius? Qua in re diſſentit ergo de Canonum rigore à Conringio Defenſor? Diſpeream ſi vel minimam videam diſſonantiam inter utrumque. Si idem verò cum Conringio ſentit Defenſor, ſumma profectò malignitas eſt, innocentem hîc Conringium traducere, tanquam ſacrorum Canonum *irriſorem, inciſorem, reſciſſorem, exſibilatorem.*

XIV. Quod exempla coronationum à Moguntino Aquiſgrani peractarum, quibus uſus fuit Conringius, attinet: non potuit negare, ad Ottonis Magni unctionem admiſſum Moguntinum; aſſerit tamen confidenter, Colonienſem *ſibi reſervaſſe partem humerorum & brachij* ungendam: quod ante illum nemo dixit, forte nec ſomniavit. Imò Witikindum ita omnia narrare, quaſi ſolam coronæ impoſitionem juverit Colonienſis, probaverat Conringius in Aſſertione: Defenſor verò nihil ad illud reſpondens, tantùm aliud narrat; quaſi hoc ſit ſatis. In coronatione Ottonis II functum ſuo munere ſaltim ex parte Moguntinum, itidem non auſus fuit Defenſor negare; urget tamen, primas partes tum fuiſſe Brunonis Colonienſis. Quaſi illud ſi verum ſit, quidquam ad hanc rem faciat. Conringius rectè credidit, ſatis eſſe ſibi, ſi ſaltim ex parte conſecratio fuerit à Moguntino peracta. Et tamen primas in illo actu obtinuiſſe Brunonem Colonienſem, ex ijs quidem quæ adfert nullo firmo ſyllogiſmo Defenſor probaverit: quod ſentiet ubi fecerit periculum. Ad Ottonis III coronationem nihil attuliſſe Colonienſem, fateri cogitur itidem Defenſor: at excuſat; factum enim illud eſſe, quod jam monachalem habitum aſſumpſiſſet Warinus Colonienſis, cum primi Defenſores Colonienſes ſcripſiſſent Warinum illum morbo tum fuiſſe detentum. Vtrique fabulæ adverſa ſunt quæ de Warino narrat Dithmarus. Sed ille, etſi tum tem-

poris vixerit & rebus Imperij gerendis, tanquam Epiſcopus Merſburgenſis, præcipua ortus nobilitate, admotus fuerit, rejicitur à Defenſore tantùm quia in anno coronationis aberraverit. Tanta nimirum eſt libido fingendi aliquid in gratiam partis quam tutandam ſuſcepit: ut non pudeat fidem detrahere ſcriptori συγχρόνῳ rei geſtæ, & qui talia non potuit ignorare. Wilhelmi Hollandi dexteram à Moguntino eſſe unctam, itidem non poteſt negare Defenſor: tamen nonnulla addit, ſed quæ nihil ad rem facere, quilibet facile judicabit.

XV. Concludens tandem hanc octavæ quæſtionis tractationem ſex titulos adfert juris Colonienſis coronandi: minus liberalis Vindice, qui undecim attulerat. Verum de illis titulis quid ſit ſentiendum, cùm abunde nuper diſputatum ſit in Examine Argumentorum Colonienſium, non eſt quod huic loco amplius nos quidem immoremur; præſertim quum titulos non probet Defenſor, ſed tantùm recenſeat; pari autem facilitate à nobis hi queant rejici quàm ab illo ſunt recenſiti.

AD QVÆSTIONEM IX.

I. Nonam Quæſtionem ejusque tractationem ijs, quæ Sectione V à Contingio diſputantur, oppoſitam quidem voluit Defenſor; ſed, more ſuo, nec bona fide refert Conringiana, nec ſuas ſententias vel veriſimiles facit, tantum abeſt ut oſtenderit veras eſſe.

II. Prima calumnia jam vetus poteſt videri, Conringium Caroli Pragmaticam *exploſiſſe & Canones ſacros exſibilaſſe.* Reliquæ novæ ſunt. Inter has prima eſt: Conringium *originem Aquenſis inaugurationis à Caroli Magni ibi ſepulti memoria deducere.* Hæc autem fuerunt Conringij verba: *Primum* (quod nempe *jam Ottones & alij Reges voluerint Aquiſgrani potius coronari quàm alibi*) *contigiſſe arbitror, propterea, quod Aquiſgranum præ alius locis & amaverit & ornaverit Carolus Magnus, ibi quoque ſit mortuus ac ſepultus.*

Hac

Hac ſanè ratione inter omnia Regia palatia Tranſalpina Aquiſgranenſe omnium fuit primum jam ætate Caroli & nobiliſſimum.

II. Altera eſt : Conringium affirmaſſe, circa tempora Henrici III Cæſaris *Primatum eſſe Coloniam translatum.* Conringij autem verba ſunt pag. 32 : *jam tum Colonienſem Sedem ita creviſſe, ut æmulatione ſua pene dubium niteretur reddere Moguntini Primatum.*

III. Tertia eſt: quod Conringius *fateatur*, Moguntinum *planè jure victum eſſe à Colonienſi, & quidem vi Canonum.* Conringius verò dixerat pag. 33: *Henrico regnante, cùm alij Epiſcopi Germaniæ, tum etiam ipſe Moguntinus plus juſto, certè plus ſolito, ſibi arrogaverant in diœceſibus ſuis: Luitpoldus ipſe Moguntinus dici non poteſt quàm fuerit rigidus in tuendis ſuæ diœceſeos creditis juribus.* Recitata deinde prolixiore quadam de Luitpoldo *ex Abbate Vrſpergenſi* (ex quo talia depromſiſſe, quid quæſo criminis?) hiſtoria, tandem addiderat : *Si verò Luitpoldus ne ipſi quidem Papæ voluit cedere in ſua diœceſi, quid mirum eſt, eodem jure adverſus illum eſſe uſum Colonienſem, & priſtinum coronandi jus Moguntino ſaltim ex parte fuiſſe ereptum ?* Tantum de calumnijs & mala fide in Conringium exercita.

IV. Pro conjecturis verò Conringianis (quantum ex obſcura & confuſa tractatione colligere eſt) ſuas ſubſtituens, *Primam* cauſam juris Colonienſis circa Aquenſem coronationem collocat in Pragmatica illa Carolina. Huic verò fidem hoc loco vult facere pag. 29 ex encomijs Aquiſgrano jam ante Friderici I tempora tributis, cumprimis de Sede Regia ibi collocata. *Dein* p. 30 ex teſtimonijs *de Sede Regia Aquiſgranenſi*, quæ lata ſint poſt tempora Friderici I Cæſaris, partim antiquioribus partim recentioribus. Sunt autem encomia illa & antiquiora quoque teſtimonia ita à Defenſore propoſita, quaſi ipſe illa collegerit, cùm tamen de ſuo vix unum & alterum addiderit, omnia verò Conringij diligentia jam ante fuiſſent collecta & in Aſſertione laudata.

 V. Cæ-

V. Cæterum ex pumice citius aquam, quàm ex illis encomijs & de Sede Regia testimonijs, justo aliquo syllogismo expresseris, Carolum Magnum instituisse, ut Aquisgrani omnes in futurum Cæsares initiarentur, aut Regia corona ornarentur. Tenta, sodes, Defensor, id num possis. Si non possis (ut profectò non poteris) quid laboras vana opera fabulas persuadere?

VI. Inter encomia occurrit primò, quod ab antiquo auctore poëmatis cujusdam jam ætate Caroli Aquisgranum dictum sit *Roma nova*, & *Roma secunda*. Ita dictum Defensor vult, quod *ibi coronam Regiam ut Romæ Imperatoriam* Cæsares *consequerentur*. Quasi verò non alia possit esse nominis illius ratio. Et verò quando carmen illud fuit conscriptum, nondum fuit lata lex illa quæ jactatur Carolina. Et ex ipso carmine apparet, ita dictum Aquisgranum à Poëta ob splendorem noviter conditæ Vrbis, quæ tum omnes Transalpinas superavit. Defensor ipse pag. 32 notat Coloniam itidem dictam fuisse *alteram Romam*: cui profectò prima illa Defensoris interpretatio non congruit.

VII. Succedunt deinde illi tituli istius Vrbis: *Prima Sedes Franciæ; totius regni archisolium; archisolium regni Francorum.* Verùm quo colore saltim in speciem possis probare; in sola Sede primaria, aut primario Palatio Regni Francorum, ex instituto Caroli Magni coronationes Regias Cæsarum institui oportere? Similiter in æde S. Mariæ Virginis *solium* aliquod *Imperiale* aut *thronum regalem* à Carolo Magno esse constitutum, nemo negaverit. Nam per Germaniam passim throni sunt constituti. Nemo tamen ante Friderici I ævum dixit, Sedem illam *locatam esse à Carolo Magno, ut in eo omnes Cæsares initiarentur*. Post Fridericum talia credi cæpisse, fassus est Conringius. Sed ex illis à Friderici ævo usque latis testimonijs non potest firmiter colligi, idem jam Caroli Magni ætate vel constitutum vel creditum fuisse. At quid his immoramur? Vbi justo syllogismo, cujus medius terminus sit desumptus à Sede Regia, probaverit legem illam Carolinam, spondeo Conringium Defensori

fensori non concessurum duntaxat, sed gratias quoque acturum? Et ego similiter maximas illi agam.

IIX. *Alteram causam* juris Coloniensis videtur arcessere Defensor *à vi Canonum & privilegiorum*, quæ scil. habuerit *Coloniensis vivo Carolo, cum Primatus ejus maxime floreret.* Verum prætextu Canonum & usos Colonienses & vicisse, jam fassus est Conringius: illum tamen prætextum tanti roboris jure non fuisse, itidem agnovit. *Privilegiorum Primatus* quæ Coloniensis Ecclesia habuerit Carolo vivo, in omni ævo ne gry quidem reperitur. Debuisset itaque ab illis ineptijs venditandis meritò Defensor abstinere, si qua ipsi veritatis cura & pudoris fuisset.

IX. *Tertiam causam* videtur Defensor in nescio quo *duplici privilegio, soli Coloniensi à Leone IX restaurato*, collocare. Sed jactitatur quidem illud privilegium ab omnibus penè Coloniensibus Advocatis, nec rogati tamen nec irritati adduci illi potuerunt, ut alijs legendum communicarent. Vt dederit verò Leo IX tale privilegium; illud tamen manebit, ætate Henrici III cæpisse demùm Coloniensem constanter coronationes Aquisgranenses peragere, in illius enim Cæsaris tempora Leonis IX Papæ ætas incidit,

X. Subjungit deinceps Defensor pag. 32 nonnulla de Primatu Coloniensi & Moguntino: illum non cæpisse Henrico III Cæsare, ut rebatur Conringius, & Magdeburgensi Primatu Moguntinum multùm fuisse imminutum. Verum quî ratus sit Conringius, Primatum ad Colonienses pervenisse ætate Henrici III cum Primatum Coloniensem nullum agnoscat? Egi jam tum de noviter isto jactato Primatu; atque ad tutelam eorum quæ à Conringio sunt disputata, nihil illa de Primatu Coloniensi contentio quidquam valet; itaque hisce relictis ad alia potius pergemus.

AD QVÆSTIONEM X.

I. Proponit illam Defensor hisce verbis: *An per Rescripta*

Cæsarea & Bullas Apostolicas Coloniensi liceat intra & extra suam diœcesin coronare. Vult autem videri hanc, ejusque tractationem, opposuisse ijs quæ Sect. VI Conringius respondet ad argumenta pro parte Coloniensi in Libello Germanico adducta. Omnis autem tractatio sarcasmis referta, tota occupata est in jactandis nonnullis dictis paucorum Pontificum, Friderici I Cæsaris & Aureæ Bullæ. Tædet & pudet de calumnijs & sarcasmis querelas iterare. Ad omnia quoque Pontificum & Friderici Cæsaris, ut & Aureæ Bullæ dicta, abunde responsum nuper est in Examine Argumenti Coloniensis Secundi, & Quarti. Itaque non est quod Defensori verbulum hîc reponamus.

AD QVÆSTIONEM XI.

I. Quæstio hæc est Defensoris : *An obsint Coloniensi Moguntinæ coronationes.* Tota autem tractatio adeò est obscura & salebrosa, ut meritò exclames ;

Lectores tetrici salebrosum ediscite Santram.

II. De ultimis quinque coronationibus probaverat Conringius pag. 42 & 43 illas à Moguntinis nomine proprio peractas esse: nec illa quibus suo juri caveri fecerunt Colonienses, aliò videri pertinere, quàm ad coronationes Aquisgranenses. Illa Conringiana omnia ne quidem digito movit fortis ille (si Dijs placet) Coloniensis Defensor. Tantum affirmat contrarium esse factum ; idque probat unius Augusti Vischeri verbis quibusdam. Quasi hoc sufficiat Conringio refutando. Quid verò, si jubeas illum legere etiam quæ eadem de re disputantur in Examine Argumenti V?

III. Conringius porrò pag. 43 & 44 argumentum, quod Auctor Libelli Coloniensis Germanici *causæ suæ ultimum & instar omnium* esse voluerat, solidè confutavit. Defensor silet. Quod ejus silentium potest accipi pro consensione, vi veritatis pertinacissimo adversario expressa. Tantum ad ea quæ contra Mino-

rem

rem argumenti illius attulerat Conringius, de Ottone I Conrado II & Wilhelmo Hollando, unctos illos esse Aquis à Moguntino, præsentibus infulatis Coloniensibus, aliquid muginatur: sed ita ut nisi Lector attentè excutiat Assertionem, quid sibi Defensor velit assequi nequeat. Summa est, ad Ottonis & Wilhelmi unctiones Moguntinum pervenisse consensu Coloniense: Conradi Salici consecrationem fuisse extortam. Quàm vera hæc sint aut non sint, haud disputabo: manet interim, rectè à Conringio dictum, tres illos Cæsares esse unctos & consecratos præsentibus infulatis Coloniensibus: quod unum ibi Conringio erat probandum. Operæ autem pretium fecerit Defensor, si attentè legerit illa, quibus in Examinis Armentorum Coloniensium fine in idem Coloniense argumentum animadvertitur.

IV. Responsione porrò ad Conringianum argumentum primum, Majorem pariter & Minorem negat Defensor, idque uno prætextu coronatæ Elizabethæ Reginæ. At verò etsi illa coronatio quidquam ad rem faceret, Major tamen Conringij maneret verissima, & sola laboraret Minor. Potuisset eodem jure negare Conclusionem. Ineptè verò adferri coronationem Reginæ quando agitur de coronatione Regum, nemini non liquet: etiam ipse Streithagius agnoscit in famoso suo libello, qui hoc mihi momento redditur à veredario Coloniense. Sed & probabile est, factam illam coronationem consensu Moguntini: etsi omnia illius actus non sint exactè ad posteritatem monumentis tradita.

V. Alterius argumenti Conringiani vim existimavit Defensor eludi posse eo, quod omnes coronationes Moguntinæ factæ fuerint nomine Coloniensis. Neque id negaverim. At falsissimum est eas alieno nomine institutas esse. Hoc Conringius probaverat. Idem confutare officii erat Defensoris, si probè voluisset hoc munere & titulo defungi.

VI. *Cætera* (pergit denique Defensor) *quæ allata sunt, nul-*

lius

lius momenti sunt & ex dictis per se concidunt. Vera hæc sunt de ineptijs, quibus Defensor finit libellum suum. Et verò omne ejus opusculum non meretur confutationem suo aliquo proprio pondere, cùm nihil habeat saltim jam à Vindice non allatum, & vicissim confutatum.

VII. Et vero eam ob causam ipse Conringius indignum illud judicavit suo calamo. Mihi vero in animo fuit istud: *Res falsa & inanis, nisi corrigatur, habet nonnunquam fidem; multique sunt homines judicij parum firmi, qui nihil audiunt leguntve quod non credant nisi refutatum sciant.*

CONCLVSIO ET DIGRESSIO CONTRA PETRVM A STREITHAGEN.

Quum itaque & causæ Moguntinæ, & famæ bonorum virorum, qui illam tuentur, intersit, ut, præsertim his nundinis, aliquid exstet in publico Defensioni etiam Anti-Conringianæ oppositum, hasque quasi præ foribus jam esse intelligerem; non amplius cunctandum ratus, quamvis meliore negotiorum genere occupatus, ante pauculos dies calamo correpto horas subsicivas aliquot Defensioni illi brevibus refellendæ impendi; idque tum veritatis & bonæ causæ, tum amici gratiâ, cujus honos & salus mihi cordi est. Ita natum mihi hoc, quod vides, opusculum subitaneum. Nam nec meruit insulsitas adversarij stilum ipsius Conringij, quamquam Protestantis, cæterà tamen veritatis longe amantissimi. Qui meritò veretur factionem tàm irritabilem porro in caput suum concire, adsuetam convitiis, turpi fœtui impotentis animi. Acrimoniam dictionis, si qua hoc in libello deprehenditur, non censui temperandam. Non debent tigres & apri subulâ excipi. Et omninò frenanda est hominum, Defensori similium, inculta ferocia, ne sibi quidvis licere deinceps sinant. Exigit sane hoc ipsum causæ bonitas, & S. Sedis Moguntinæ dignitas, cui usque adeo protervè obtrectato-

ctatores illi insultant. Frustra quamvis lenissime scribi,& Dissertatio & Assertio experiuntur. Id abundè comperire est ex Vindicijs, & cumprimis nunc. Vix enim absolveram Defensorem, atque ecce offertur Petri à Streithagen Conringius ἐλεγχόμενος. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis! Simul inspexi librum, obstupui profectò ad maledicentiam sine omni exemplo horribilem & rabiosam: serio pariter dolens, scriptum profectum esse ab homine Catholicam fidem, imò duplici sese nomine Canonicum professo. Nec invenio tàm fœdo facinori, quo nomen suum & venerandum ordinem homo ille dehonestavit, excusando quidquam, præter mentis non satis tutæ morbum; quem videtur scriptum illud prodere. Equidem opto illi caput sanum, & mores ad humanitatem nonnihil compositos. Vt Conringius illi quidquam reponat, scio V. C. ægrè adductum iri; cum ne Defensori quidem ut responderet, à sese impetrârit. Sed nec est quod famæ suæ metuat à bellua tàm furibunda. Minimè verò ipsam Moguntinam causam lædit liber latro. Quippe qui præter immania convitia & turpem scurrilitatem nihil omnino habeat ad rem faciens, quod non ab alijs Coloniensium partium patronis, sani cerebri viris, sit allatum, atque ex illorum libellis, infelicis corniculæ exemplo, transcriptum. Nec verò à plagio sese ullo colore calumniator purgaverit: perinde atque summâ injuriâ Conringium incusat, quasi ex Dissertatione Assertionem suam fabricaverit. Cujus nullum versiculum, nullum apicem, nisi ad amicum Assertione jam Moguntiam dudum missâ, Conringio esse visum; sicut nec auctori Dissertationis unquam Assertionem visam priùs esse, quàm Dissertatio foret integrè conscripta, sanctè possum & optimâ fide testari. Videtur profectò hic Streithagianus cento juvare bonam de causa Moguntina opinionem. Quis enim non suspicetur, adversarijs nihil amplius superesse bonarum artium, quibus eam oppugnent; nec forte esse viros intelligentes, qui id velint suscipere;

postquam ad Streithagium itum est, ad hominem inquam gnaviter impudentem. Nisi fortè is ultro sese scenæ miscuerit, invento, ut solet, uno alteroque non dissimili applausore. Quicquid sit: Moguntinæ causæ interest, ut liber stolidus sit in manibus omnium ac legatur. Quare multum debemus operis Bonnensibus: utpote à quibus per extremam inconsiderantiam hæc tanta intemperies orbi demum innotuerit, nobisque ansa porrecta fuerit, saltim obiter sub finem hujus castigationis in isthoc hominis scelus animadvertendi. Neque verò prudens quisquam calamum ex professo stringat adversus talia. Etiam refert tamen ipsius Moguntinæ Sedis, ne de Assertione prostratâ pars adversa glorietur. Sententiam itaq; Conringius dixit super re, cujus ex historia Germanica est intelligentissimus. Ab amico eam rogatus dixit. Tametsi enim medicus sit, nihilo inde & harum rerum est imperitior. Quur ergo consuli non potuit? Quasi vero artem medicam professus, illi uni usque adeo impalluerit, ut alia negligeret omnia. Quot, amabo te, medici, præter disciplinam suam, plurima docti, elucubrati plurima, extra suas velut oleas aut supra! E multis specta vel solum Raymundum Sabondum, tum Hieronymum quoque Cardanum, Conradum Gesnerum, Ioan. Pistorium, Henningum Arnisæum, Ludovicum Septalium, Casp. Barlæum, Gabrielem Naudæũ, & Chifletium. Qui, medicinam cognosse, ac quicquid à terra in lunæ usque orbem exporrigitur, animo tranasse haud contenti, non modò omnem Polymatheian mente complexi, sed & in Mathematicis, Metaphysicis, Criticis, Philologicis, Juridicis, Moralibus, Theologicis, Historicis, Politicis, cõplura commentati & publico largiti sunt. Qualibus si Hermannum Conringium annumeravero, nescio quid pecem. Quo vix in nostratibus repereris qui Historiam rei Germanicæ & Civilem prudentiam pleniùs aut explicatiùs tradat: ut de cæteris ejus præclaris dotibus, tum erga patriam & bonas literas meritis nihil addam. Nihil ei desit præter

veram


veram religionem. Iccirco eam à Patre luminum ex toto pectore ipsi apprecor. Optandum foret, ut, missis partibus, Sedi Apostolicæ æquior, omnigenæ eruditionis suæ ubertatem Catholicæ unitati & salutiferæ veritati defendendæ perinde commodaret, atq; multâ doctrinâ abundat. Utique juxta alios ostendit, quã patens sit ingenij sui campus, quodque suas vires aliorum ignaviâ & infortunio non dimetiatur. Judicium de ita ingeniatis non debet permitti ijs qui, quum videant vulgò non usque adeò altè ascendi, ne altius quidẽ scandi posse, ac intra perangustos unius cancellos doctrinæ omnia ingenia constringenda delirant, suis unis adeò morosè dediti, ut, dùm reliqua universa contemnunt, nec sua quoque perdiscant. Certè Conringius abunde habet quod in varijs liberalis studij ac promiscuæ doctrinæ partibus agat. Tantum abest ut suapte se sponte alieno ingesserit negotio, atq; ad se nihil pertinenti. Nec ego video, quêi possit vitio verti cuiquam Catholico, nedum Principi Electori, etiamsi ille crederetur sententiam rogavisse hominem Augustanæ Confessioni addictum, super causa ad Catholica sacra per se nihil spectante. An & Protestantes prohibentur palàm uti Catholicis, causam in Judicio vel Aulico vel Spirensi orantibus? Si hoc nefas est, actum erit de republica Imperij. Disquisitio hæc de jure coronandi ecquid habet denique, quare Protestans quoque circa id commentari aliquid vel nequeat, vel nec debeat? Scio equidem, aliquid indulgendum quorundam duritiei inveteratæ, at non quidlibet, non illud quod tollit communem pacem, ac, quæ inter nos est, socialem vitam, rerumque actum. Generosior est Eminentissimi D. Electoris Moguntini animus, quam ut vesanis quibusque vulgi voculis vel se vel administros suos moveri patiatur: præsertim cum in Germania nihil sit familiarius, quam nullo religionum discrimine in rebus civilibus mutuas nobis invicem operas præstare. Sed quid præfamur placandis ineptis? Quorum inordinato zelo ne latum quidem pilum concessero, catholicam

Fidem

fidem nihilo pluris facientium quam ipsis commodum videatur. Quin contrà audentior ibo: quicquid alij, æquo metuentiores talium, caussentur. Cæterum de universo isthoc negotio Moguntino-Coloniensi omninò per mihi placet consiliũ, quod comperi cœpisse Moguntinos: abrumpendum nempe illud esse. Nec enim video, quicquam afferri amplius posse, quod ad rem vel tantillum conferat: nisi forte possit ex Rupertino illo, cujus meminit Hartmannus Maurus, privilegio, in lucem producto, & id genus alijs documentis, ab adversa parte ipsa laudatis, luculentior Aureæ Bullæ suppeditari interpretatio. De reliquo parum arbitror dici posse, quod non dictum sit prius. Vehementer potius vereor, ne, exacerbatis utrinque scriptorum animis, moveantur novæ & turbulentæ controversiæ. Cujusmodi inter alias est illa de Primatu Moguntino; quam pro cæterâ suâ declamatoriâ prurigine Vindex, Defensor ac Streithagius, (primi namq; Colonienses Advocati in libello vernaculo, pro eo ac prudentes viros decet, sibi à talibus temperarunt) commovere præter necessitatem ausi sunt. Illos vero præeuntes sequi, cui bono? Tamen non diffiteor, de illo quoque argumento esse nobis ad manum haud pauca, nec tralatitia, pro Moguntinis: judicavimus autem, ex bono publico futurum, si parcè illam litem tangamus, parati alioquin justa disputatione dignitatem illam antiquam S. Sedis Moguntinæ defendere, si id è re quidem fuerit. Interim gnarus nec Primatum Ordinis, qui hîc sat superque sufficit, nec jus extra diœcesin Agrippinensem Reges coronandi, Moguntino aufferri unquam posse, hîc finem impono non huic tantùm opusculo sed & omni huic certamini.

FINIS.

005647268



KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967